Med. II, 506. A. XXXIX.
18/K

48
3/6


TEMPLVM HONORIS
TEM PLVM VIRTVTVM

42600(1)

I. N. J.

MEDICINA
DOCENS, ET DUCENS,

Sive

DISCURSUS MEDICO-THEOSOPHICUS,

Quo ad ductum Theſium qvarundam ex Medicinâ depromtarum, tum veri DEI Cognitio, tum præcipuæ Chriſtiani Medici Virtutes explicantur,

Piis uſibus verorum inprimis Medicorum, hinc & cunctorum ſincerum Pietatis Studium amantium Literatorum

conſecratus,

rerumque præcipuarum Indice auctus,

â

Theodoro Valentino Kramer/
Med. Licent. Urbisque Palæo-Solqvell. in Vet. March. Phyſ.

LIPSIÆ,
APUD HEREDES LANCKISIANOS.
MDCCX.

1710

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
FRIDERICO
REGI BORUSSIÆ,

MARCHIONI BRANDENBURGICO, S. R. I. ARCHICAMERARIO, ET ELECTORI, SUPREMO PRINCIPI ARAUSIONENSI AC NEOCASTRENSI, DUCI MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIACI, MONTIUM, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM, VINIDORUM, MECKLENBURGI, ET IN SILESIA CROSNÆ, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, VANDALIÆ, SVERINI, RACEBURGI, ET MEURSÆ, COMITI HOHENZOLLERÆ, RUPPINI, MARCÆ, RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINI, TECKLENBURGI, LINGÆ, SVERINI, BURÆ, ET LEERDAMI, MARCHIONI VEHRÆ, ET VLISSINGÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN, TERRISQVE ROSTOCHII, ET STARGARDÆ IN LAUENBURG, BUTOW, ARLAY ET BREDA, CETERA.

REGI ET DOMINO MEO MULTO CLEMENTISSIMO.

SALUT ET FELICIT. PERPETUAM!

AUGUSTISSIME
ET POTENTISSIME
REX,
DOMINE MULTO
CLEMENTISSIME,

JAm tandem octavus cum Sole revolvitur annus,
Carmen ubi ſcripſit venula parva TIBI. (*)

)(3 Vix

(*) Titulus Carminis erat: Verba Medica, quibus excuſſâ breviter Terrarum Boruſſo-Brandenburgicar. in aperiendo tripliciNaturæ Regno, Minerali nempe, Vegetabili, & Animali felicitate AUGUSTISS. AC POTENTISS. PRINCIP. AC DOMINO, DOM. FRIDERICO, BORUSS. REGI, ET ELECT. BRANDENB. CETERA, REGI AC DOMINO SUO OMNIUM LONGE CLEMENTISS. ipſo CORONATIONIS FESTO, quod d. 18. Jan. Ann. Chr. 1703. tertiùm ſolenni ritu celebrabatur, humiillimè applaudere, & ſimul ulteriori REG. IPSIUS MAJEST. Gratiæ ſe ſubjectisſimè commendare voluit, debuit Theod. Valent. Kramer/ Med. Licent, & Pract. Solqvell.

Vix TANTUM, fateor, poteram ſperare MONARCHAM,
Dignaturum Oculis talia metra SUIS.
Aſt TUA me placido reſpexit GRATIA vultu;
Mille inter plauſus & mea vota notans:
Verbula nec mediciSIBI planè ingrata fuiſſe,
Poſtea ſat clarè perſpicueque docens. (*)
O dictum meritò (tum mecum cogito) REGEM
CLEMENTEM, populiDELICIUMq; Sui!
O Soli ſimilem! qui terras lumine luſtrans
Intactum radiis nil ſinit eſſe ſuis.
HocqueTUO fretus, REX CLEMENTISSIME, Nutu
Ante pedes iterum ſto, jaceoque TUOS.
UtiqueMAJESTAS potuit terrere, ſed Alma
HæcTUA me ducit GRATIA nota mihi.
Accipe (ſic ſupplex oro) REX MAGNE, libellum;
Et Duce Naturâ prædicat ille DEUM:
HUNC, CUJUSLAUDI dudumTUA SCEPTRA ſacrâſti,
Cujus & Ideam, REX FRIDERICE, geris.

Ac-

(*) Phyſicatu Soloqvellenſi Clementiſſimè mihi conceſſo.

Accipe, Virtutes quoque pagina tractat; at Illis
Undique ſtipatus ſtat TUUS ILLE THRONUS:
Has colis IPSE, DEO dudum CARISSIME PRINCEPS,
Inque aliis auges præmio, honore, bonis.
Denique ſuſpendit mens ſic devota tabellas,
Accipe; percepti ſigna FAVORIS erunt.
Quodque negant vires, votum nunc expleat illud,
Deſino quo nunquam ſollicitare DEUM.
Vive diu, ſoſpes, PATRIÆ PATER OPTIME! vive!
Corporis & Mentis proſperitate pari.
Stet porrò, utq; ſtetit, per Te Pax aurea nobis!
Integra ſtet porrò publica priva Salus!
Stet pia Relligio, Regimen ſtet juris, & æqui!
Tectaque ſic maneant Curia, Templa, Scholæ!
Per TE ſic vigeant Collegia cuncta, perennet
Et Medicum, Medici portus, & ara chori!
Vivat REX noſter! Vivat REGINA! ſeneſcant,
Connubio junxit QVOS DEUS IPSE novo!

Floreat & PRINCEPS cum CONJUGE REGIUS! aurâ
Creſcat tranqvillâ REGIA TOTA DOMUS!
Optavi; fuſasque preces implebit IOVA,
Et bona, quæ mea mens non capit, illa dabit.
Tu memor intereà maneas, REX ALME, clientis,
Porrò & me Radiis protege, qvæſo, TUIS.

AUGUSTISS. & SACR. REG. MAJESTAT. VESTRÆ

Servus humillimus, ſubjectisſimusque

Theod. Valent. Kramer.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

QVod ſi, Benevole Lector, hodiernorum hominum inter Chriſtianos utut nomen ſuum profitentium vitam quis diſpiciat, multos in eâ errores, plurimas mendas vel levi præceptorum Divinorum notitiâ imbutus is deprehendet, dum ea ſeculi hujus perverſitas, ut, qui veram in Chriſtum fidem eâ, quâ decebat, morum integritate declarent, pauciores ſubinde appareant. Plenis hinc potius greſſibus non quâ eundum, ſed quâ itur, in Verbi cœleſtis contemtum, in incredulitatem, ſuperbiam, injuſtitiam, & reliqua cum Naturæ, tum Revelationis lumine detecta peccata iri videas. Sed, quod inprimis dolendum, periculoſior tantò hic eſt morbus, quo minùs eundem mundus tantâ labe corruptus cupit agnoſcere. Qvid enim, quæſo, perditis nunc hominum moribus familiarius, quid frequentius, quàm excuſari

peccata, qvam flocci pendi errores contra expreſſam Dei voluntatem utut commiſſos? Hic quæruntur latebræ, hic receſſus, in quos plerique omnes Protoplaſtis hac in parte ſimiles nos abſcondamus; hic folia, quibus cum iisdem delictorum noſtrorum pudenda obvelemus. Horum nonnulli, ut fœditates ſuas excuſent, temperamentum accuſant; rerum ſuarum ſe ſategiſſe rati, ſi arrogantiam ſuam, ſi libidinem, ſi iracundiam, ſi moroſitatem, ſi ignaviam complexionis velo obtegere queant. Alii ad Conſvetudinem provocant; dumque hujus vim allegare poſſunt, ſat magnum in ea vitiorum ſuorum, intemperantiæ v. g. incontinentiæ, & id genus aliorum patrocinium ſe inveniſſe, autumant. Multi etiam Virorum alias clarorum Exempla ſuis obtendunt; dumque vident, hos in Excellentiâ conſtitutos homines variis ſæpe animi detineri maculis, inde lumen quaſi ſuis tenebris mutuare, & ſic morbum, ut ita dicam, alio morbo palliare conantur; ad eum ferè modum, quo Chæream olim Terentianum fucum mulieri clanculum factum Jovis exemplo excuſare voluiſſe, conſtat. Et quot non reperiuntur il-

lorum

lorum denique, qui in ſuo vitæ genere illaque, quam profitentur, Arte vitiorum â ſe admiſſorum præſidium quærunt? Sic Aulicus intemperantiam; ſic Mercator profanationem Sabbati, & injuſto ſæpe modo conquiſita lucra vitæ, in quo verſantur, generi imputanda opinantur. Quin, quod certè dolendum, ne ipſa quidem Medicina, innocentiſſima alias Sanitatis Præſes, & ad ſalutem humano generi â Naturâ data ab hac abuſus labe eſt immunis! Videas quippe inter Ejus asſeclas, qui, ut gratiam apud Mæcenates ſuos ineant, intemperantiæ, â quâ revocare illos debebant, ipſi aſſveſcunt: alios, qui ut Excellentiæ ſuæ admirationem eo majorem excitent, & greſſum, & inceſſum, & veſtitum ad luxum componunt omnia: rurſus alios, qui ad popularem captandam auram ampullas projiciunt, & ſesquipedalia verba, imò, ubi de morbi eventu aliquid eſt prædicendum, plus ſæpe præmittunt, imò juramento aſſerunt, quam Ars poteſt; ſic, ut dicterium inde Medicorum ordini parùm honorificum natum: eſſe nimirum illorum honeſtè veſtiri, graviter mentiri, & audacter occidere. Vid. Henr. ab Heer Obſ. ſuar. Med. oppid. rar. x. Non enim

nim de temerario etiam quorundam auſu dicam, qui tritum illud, *Remedium anceps melius, quam nullum*, intempeſtivè & in illos ægrotantes applicant, qui in limine jam mortis hærent, & ſic interitum eorum, quem avertere humanæ opis non erat, cum Nobiliſſimæ artis opprobrio ſæpe accelerant. Hoc tantùm dicam, excuſari tamen hæc & ſimilia peccata hodiernis Medicinæ fatis; ita nimirum ferre tempora, ita ferre, ut ſic loquar, rationem ſtatus Medicorum, ut nonniſi moribus modò recenſitis ceu mediis ad ſcopum pervenire liceat; quemadmodum & tale quid non obſcurè innuit Tractatulus, *Machiavelli Medici* nomine ante aliquot annos editus, & in quo Autor non tam id, quod fieri debebat, quàm quod vulgò fit, exponere magnam partem voluiſſe videtur. Verùm enim verò ut neque temperamentum, neque conſvetudo, nec mala Virorum alias clarorum Exempla ullos vitæ hujus errores ritè excuſant, ſed potius magis incuſant; ſic nec ulla â Deo quidem ordinata, inque hujus Verbo fundata Vitæ ratio, aut Ars malefactorum Præſes exiſtit. Inprimis Medica Ars tantùm abeſt, ut malo vitæ regimini patrocinetur, ut po-

potiùs ad vitam bene Chriſtianoque more tranſigendam uberrimam anſam præbeat. Hinc utut omni ævo ſat magno numero reperti tales Medici, qui faſtus & arrogantiæ, qui intemperantiæ & libidinis, qui temeritatis aliorumque criminum graviorum labe ſe polluerunt; novit tamen & antiqua & recentior ætas etiam tales, qui animorum non minùs, quàm corporum integritati ſtudentes optimarum virtutum laudem reportarunt. Ut enim ſuperioris ævi Exempla nunc non adducam, quod eleganter alias Johannes Molanus in ſuo *Diario Medicorum Eccleſiaſtico* præſtitit; norunt recentiora etiam Secula Viros animorum non minùs, quàm corporum curà illuſtres, & memoria hinc Theophili Spizelii, quam de medicis ex animo felicibus Commoneſ. ſuæ de Vit. & moribus Literat. 33. inſeruit, certè dignisſimos. Norunt ſic Felicem Platerum, probatâ erga Deum fide, inque homines induſtria; Danielem Sennertum, indefeſſo Charitatem Chriſtianam excolendi ſtudio; Andream Veſalium, in adverſis conſtantia; Thomam Bartholinum, ſtupenda prorſus æquanimitate; Gothofredum Schulzium, inſolito Candore,

re & ſuperbiæ odio conſpicuos Viros. Norunt denique (ut & Temperantiæ exemplum addam) Melchiorem Sebizium, quem non ſolum regulas Sanitatis præſcripſiſſe, ſed & earundem veritatem ſua, & totius familiæ longævitate comprobaſſe, conſtat. Et quid in Jacobo Horſtio, Illuſtrisſimi Principis JULII Ducis Brunſvicenſis Medico, ac Med. in fundata ab Eo Acad. Profeſſore tertium abhinc non vidit Seculum? Abunde ſanè is, quantam veræ, & ſinceræ pietati operam dederit, peculiari *Precationum* libello, quo devotas ad Deum preces inter & extra uſum Artis Medicis fundendas exponit, qui verò, quod dolendum, ob exemplarium defectum in paucorum forte manibus erit, poſteritati declaravit. Quibus, & quæ hujusmodi ſunt, Exemplis id ſatis, ut arbitror, clarum redditur, non defuiſſe in tanta prævaricantium Medicorum copia etiam tales, qui eruditionem ſuam Medicam cum veræ pietatis exercitio felici copulatione conjunxerint. Scilicet animadverterunt Viri præſtantisſimi Dei non ſolum cognoſcendi, ſed & curatiùs colendi expreſſa pasſim in Arte veſtigia: hinc nihil ſibi prius, aut poſterius eſſe duxerunt, quam

quam oblatam hanc occaſionem arripere, & pietatem, ad quam vel demandati ſic ſibi officii impulſu obſtringi ſe videbant, ſedulò amplecti. Placuit Divinæ Directioni, & me quoque Medicinæ Theoreticæ primùm, dein & Practicæ admovere. Cum itaque dicta veræ pietatis non ſolùm inchoandæ, ſed & promovendæ opportunitas & mihi temporis ſucceſſu innotuerit, ad uſum meum notitiam hanc transferre, poſtea etiam de aliorum uſu cogitare cœpi. Quod itaque ſine arrogantiâ potui, profitendo me hac in re non magiſtrum, ſed diſcipulum, de communi ſalute cum aliis differentem, id tandem Divinâ adjuvante Gratiâ obtinui: inque tractatulo hoc, quantâ potui perſpicuitate, oſtendi, qui Medicus à Chriſto nomen ducens in propriâ Arte pietatis ſeriò colendæ & occaſionem & incitamenta inveniat; ſeu quod eodem recidit, quomodo *Medicina* ſuo modo *Deum doceat, & ad Deum ducat?* Ita autem me geſſi, ut præmiſſa ſemper, & ex Medicinæ fundamentis probata Concluſione, ſive Theſi quâdam, uſum Theſis, h. e. unam vel alteram Virtutem eamque Chriſtiano Medico dignam exer-

cendam propoſuerim, non omisſis, quæ huc facere poterant, tum variis Scripturæ S. locis, tum quorum & maxima ad movendos animos vis eſt, Exemplis, ſed potiſſimum Medicis, iisque ex Melch. Adami German. Med. Vitis magnam partem depromtis. Neque, dum hæc ita tractavi, illicitæ curioſitatis, vel immiſſæ in alienam meſſem falcis me accuſari jure poſſe arbitror; dum & ſacer Codex liber eſt, de quo exclament Medici:

Biblia noſter amor, grata & ſincera voluptas!

Nec alius mihi ſcopus primarius fuit, quam ut ad Medicorum, regni cœleſtis cohæredum, uſum omnia transferrem; medicis hinc inprimis & argumentis, & exemplis uſus. Ne dicam, B. Scriverii, Viri certè ſcriptis ſuis homileticis immortale nomen adepti, *Meditationes fortuitas* Gotholdii nomine emiſſas, & quarum rationes in Præfatione earundem primâ ſat graves, aliisque in exemplum propoſitas Cl. Autor addit, pro me hic quoque militare. Sed quo magis in inſtituto meo confirmarer, præſentia etiam quædam aliorum de illo judicio extare volui: Hinc cum primùm paginas haſce cuidam V. D. Miniſtro, & de Eccleſia Chri-

ſti

ſti per multos annos optimè merito perluſtrandas dediſſem; inter alia is mihi hæc reſcripſit: *Quod Ideam Tuam Medici verè Chriſtiani mecum communicare dignatus fueris, ſingulari Tuæ & ſinceræ in me Benevolentiæ adſcribo, gratoque agnoſco animo. Medicina hæc docens, & ducens, ut opuſculum hoc (quod non ſine oblectatione, & gaudio perlegi) inſcribitur, me quoque, ut ingenue fateor, multa docet, nec non ad contemplanda Dei opera, exercendamque probitatem ducit: quem in finem nonnihil ex eodem excerpſi, & annotavi.* Permotus inde & publica Virorum aliquot Excellentisſimorum partim Theologica, partim Medica Teſtimonia mihi acquirere ſtudui; & nata mihi ſequentia, Favoris ſimul, & benevoli in me animi, quem gratisſima proinde, ut decet, mente veneror, plenisſima:

Primum:

Tit.

QVod eruditiſſimum Tuum de præcipuis Chriſtiani Medici virtutibus mecum etiam communicare Tibi placuerit, gratiſſimum mihi accidit, & pro hoc Tuo

in me favore gratias ago, habeoque maximas. Perluſtravi eum, quantum quidem licuit tempore eo, quo variæ occupationes, quæ magiſtratus Academici adminiſtrationem comitantur, animum diſtrahebant. Placuit verò commentatio iſthæc tua tum aliis de cauſis, tum hoc etiam nomine, quod abunde teſtaretur, ſe inſignes, quos in arte feciſti, & in Praxi Medica tot annorum experientiâ auxiſti profectus, ad eum referre finem, qui omnium pie judicantium judicio præcipuus esſe debet omnis cogitationis noſtræ, omnium contemplationum, omnium denique actionum noſtrarum ſcopus. Huc enim omnis referenda eruditio, ut non tamtùm docti ſiamus, ſed ut maximè pii evadamus: ut quantum intellectus cognitione perficitur, tantundem appetitus non fucatâ in Deum pietate, ſincero Numinis cultu, omnique virtutum Chriſtianarum genere perficiatur, & homo in hac etiam vitâ ſapientiâ & bonitate ad aliquam cum Deo ſimilitudinem perducatur. Hunc itaque cum diſcurſus ille Tuus propoſitum habeat finem, non poſſum non impenſe de eo lætari, & Tibi, Amice honoratisſime, ex animo gratulari. Faxit Deus, ut impoſterum quoque conatus Tui omnes in ſanctiſſimi Nominis ſui gloriam, ægrotantium ſalutem, & Tua etiam cedant commoda. Tu verò, Vir Experientiſſ. vale & perge favere

Tui Studioſisſimo

Helmſt. d. 5. Jun. 1708.

Chriſtophoro Tobiæ Wideburgio S.
Theol. D. Ejusdem Prof. Publ. Ordin.
& Acad. Jul. Sen.

Alte

Alterum:

Viro

Clariſſ. & Experientiſſ.

Dn. Theodoro Valentino Kramer,

Med. Lic. & Phyſ. Solquell.

S. P. D.

Andreas Julius Bötticher, Med. D.

Ejusdemque in Acad. Jul. Prof. P. & O. Archiater Guelph. & Facult. ſuæ Senior.

Tardius ſanè ad amicas Tuas reſpondeo literas, non ex oblivione veteris illius noſtræ amicitiæ, cujus ſanè memoriam nulla temporis delebit longinquitas; ſed negotiorum copia, & variæ ægrotantium interpellationes & â reſponſione debitâ, & â lectione transmiſſæ diſſertationis memet ſubinde revocârunt. Moram itaque quam invitus inivi, quo minus in publicum prodire potuerit hic Tuus fœtus, ſiniſtrè non interpretaberis. Ipſius equidem argumenti dignitas, & rerum magnitudo animum ad accuratiorem libelli perluſtrationem impulerat: verum, ut ingenuè fatear, lectionem abſolvere integram non ſivit temporis anguſtia, & rerum, quæ mihi incumbunt, gerendarum multitudo - - - En itaque redit ad Te Tua hæc diſſertatio elegans, & docta ſatis - - De me ſanè ita ſentias velim, quod ſanctè ſemper amicitiam colere, & amicis indulgere ſoleam. Vale, & res Tuas

age feliciter. Dabam Helmſtad. d. 2. Aug. 1708.

Tertium:

Bene feciſti, Vir Exc. quod medicos, qui apud multos, quaſi religio, atque pietas ipſis parum curæ, cordique ſit, male audiunt, ab hac inculpatione exculpare, & quomodo medicina cognitionem Dei doceat, & ad probam atque piam vitam ducat, uberrimè deducere haud gravatus fueris. Hinc omnes pii Tibi applaudent medici, & ab iis certe plurimas referes laudes, atque gratias, ipſaque pietas, quam adeò amas, colis atque commendas, uberrimus Tibi erit fons omnium & præſentis & futuræ vitæ proſperitatum, &c.

Cotbuſ. raptim ult. Maj. 1709.

Jacobus Stoëckerus, D.
Civit. Cotbuſ. Phyſ.
& Med. Provinc.

Et hæc de Teſtimonis Celeberr. Virorum in gratiam Benevol. Lect. hic inſerta ſufficiant! Quod ergo reliquum eſt, DEUM T. O. M. devotis veneror precibus, velit Is pro inexhauſta ſua bonitate ita qualicunque huic labori benedicere, ut ſacratiſſimo Ipſius Nomini ille ſit honorificus, mihique & proximo uberes, æternumque duraturos fructus ferat. Vale.

Votivæ

Votivæ Acclamationes.

Herr Kramer/ nun läßt Er faſt jeder-
man erfahren/
Was Er in ſeinem Krahm geheget hat für
Waaren/
Er legt die Waaren für im herrlichen
Tractat/
Den Moſes und Galen ihm angewieſen
hat/
Drin auch ein Moraliſt den Alten und der
Jugend
Ein Beyſpiel leget für zu leben nach der Tu-
gend.
Von dieſem Weißheit-Krahm wird die
gelehrte Welt
Viel rühmen/ weil die Waar ihr ſonder-
lich gefällt.
Er fahre ferner fort mit ſolchem klugen Han-
del/
Der mercklich auch abzielt zum tugendhaff-
ten Wandel/
Drauff wird ein jeder Ihm verſichern/ es
ſey wahr/
Daß ihren Käuffer find leicht eine gute
Waar/

Zu Bezeugung ſeines Affectus ſetzte dieſes

Chriſtianus Grumbach
Conſul Wittſtochienſ.

SIc Medicina exit, ſummum, *Chariſſime*, Numen
Quæ docet, adque Deum monſtrat amica viam!
Oſtendis ſatis hac, quod non mortale, quod optas,
Quodque Tuæ vitæ ſit ſcopus ipſe Deus.
Perge Deum, *Frater*, ſic pectore quærere toto,
Et tandem a facie ritè videbis Eum.

Fratri dilectiſſimo
hæc ὁλοκαρδίως ſcribeb. & apprecabatur
Conradus Joh. Kramer,
Paſt. animar. Jebenſ.

Symb.
Chriſtianus Imitatur
Chriſtum.

(o)

PROOEMIUM.

ANtequam ad rem ipſam progrediar, breviter præmonendum erit, *Medicinam*, quæ definiente Sennerto l. 1. Inſtit. c. 1. *eſt Ars, quantum poſſibile, ſanitatem hominis præſentem conſervandi, amiſſam vero inſtaurandi*, non uno modo ab Autoribus dividi: dum alii quidem, iique vetuſtiores in quinque partes, *Phyſiologiam* nempe, *Pathologiam, Semeioticam, Hygiænen, & Therapeuticam*, alii contra, hique recentiores quidam, in tres tantum, Semeioticam, ſub Pathologia, Hygienen verò ſub Therapeutica comprehendendo, eandem diſpeſcunt. Nos ergo, qui Medicinæ fundamenta non

A pro-

prolixe tradere, ſed quædam tantum ex arte Medica depromta in pios uſus convertere conſtituimus, in poſteriori hac Neotericorum diviſione, ceu inſtituto noſtro magis commoda acquieſcemus, tribusque ſic opuſculi hujus partibus reſultantibus, quid ſingulæ ad inſtruendum inprimis Medicum animæ ſuæ ſaluti intentum, in receſſu habeant, porro nunc videbimus.

PARS PRIMA PHYSIOLOGICA.

EST hæc illa Medicinæ Pars, quæ, etiamſi ad finem Medicinæ, qui eſt Sanitas, immediate non concurrat; ad prænoſcenda tamen Sanitatis requiſita, & viam ſic ad felicem curationem ſternendam omnino neceſſaria eſt: docet enim, uno verbo, ſtatum corporis humani naturalem, ſive rectum, qui, optime rem exprimente Ariſtotele, index porro eſt ſui, & index eſt obliqui. Duplex vero hæc Medicinæ pars cum iterum ſit, alia quidem *Anatomica*, quæ corporis humani partes ſimpliciter enarrat, alia *Phyſiologica ſtricte ſic dicta*, quæ functiones harum partium explicat; Theſibus nunc ſubſecuturis hic ordo inſerviet.

THESIS I.

Eſt profectò Deus.

PROBATIO.

FLuit ex uno fonte naturalis Dei cognitio, nempe ex operibus; quorum tamen alia ſunt extra hominem, alia in homine. Extra hominem numerantur varia, motus ſcilicet hu-

jus univerſi, ejus ordo, conſervatio, pulchra mundi ſtructura, & denique influxus corporum cœleſtium in hæc inferiora. In homine duo cum ſint, & teſtimonium conſcientiæ, & miranda corporis ſtructura, nos ſtructuram hanc, in quantum Deum exiſtere docet, primo nunc videbimus. Quamvis enim nec a foro noſtro alienum foret, & mirifica plantarum compage, quam ſolertiſſimus Malpighius in ſuo de *Anatome plantarum* Opere accuratiſſime inprimis delineavit, hanc quoque Dei exiſtentiam deducere, juxta tritum illud:

Emicat ex ipſis Divina Potentia rebus,

Et levis eſt ceſpes, qui probat eſſe Deum;

Inſtituto tamen noſtro vel ſola humani corporis conditio hac vice perluſtrata ſufficiet. Scilicet non poteſt non ex nuda ſaltem, & ſuperficiali, ut ita dicam, corporis noſtri contemplatione illud manifeſte patere, mirabilem & plane ſingularem fuiſſe artificem, qui illud condidit. Quemadmodum enim, qui magnifice exſtructam domum perluſtrat, & præter ſplendorem externum tot in ea conclavia, tot trabes, tot parietes, tot hinc illinc firmata retinacula, totque alia, quæ ad ſtructuram pertinent, obſervat, ex nuda harum rerum omnium inſpectione Architectum colligit, deque illius exiſtentia, etiamſi de conclavium ſpeciali uſu, de parie-

tum

tum, trabumque interiori conditione, deque cæteris, quid hæc vel illa ſibi velint, nondum ſit informatus, ne tantillum; quidem dubitat, ſic & eum, qui ſplendidum adeo, & decorum corporis humani domicilium vel obiter intuetur, conditorem inde, ſive nolit, ſive velit, agnoſcat oportet. Videt enim, ſi exteriora intuearis tantum, ſuperne locatum, globoſaque ſui parte decora coma veſtitum caput; videt faciem, frontem, ſupercilia, crebris micantes ignibus oculos, aurium ſingulare decus, genarum elegantium, labiorum amœnitatem, oris majeſtatem, dentium candorem, non ebori, ſed fulgentibus ſæpe margaritis proximum, cervicis quoque ſtructuram eburneam. Videt porro pectus, honoratiſſimum theſauri vitæ habitaculum in fœmineo ſexu mammis, in virili planitie æqualiori exornatum, videt brachia, manus, admiranda digitorum phalange inſtructas, inque ſingulorum extremitate vitreis unguiculis donatas. Videt denique ſemisphærica figura eburneum imitans fornicem Abdomen, in medio ſui umbilicum obtinens, huicque marmorearum columnarum inſtar ſubiacentia femora, tibias, & pedes, eosque non minus, ac manus, elegantes in digitos terminantes: ut cum diſertiſſimo Guern. Rolfincio in Diſſert. Anath. Meth. Synth. exarat. l. 1. c.11.

ubi pulcherrimam hanc corporis ſtructuram fuſius explicat, quodammodo ſic fari liceat. Et hæc externa tantum eſt facies! Quid, ſi & interiora luſtret? Videbit is Palladis, Mnemoſynesque Delubrum, Cerebrum; videbit Cor ipſum, viſcerum omnium facile princeps, calidique vitalis ac ſpiritus ſcaturiginem, videbit Pulmonum folles; Ventriculum, cum annexis inteſtinis, Hepar, Lienem, Renes, Veſicam urinariam, videbit denique primum mortalium omnium domicilium, uterum. Prolixus forem, ſi recenſere porro hic vellem tot arterias, venas, nervos, vaſa lymphatica; ſi enumerare vellem tot glandulas, harumque ſpeciales ductus, tot muſculos, horumque tendines, & variam ſtructuram, tot denique membranas, ligamenta, cartilagines, oſſa & ſexcenta alia, quorum apparatum attenta corporis humani inſpectio ſiſtit. Patet interim vel ex nuda ſaltem horum omnium contemplatione illud ſole meridiano clarius, non ex ſe ipſo corpus tale dependere: qui enim quod nondum erat, ſe creare poterat? nec in parentum fuiſſe poteſtate, hanc corpoream machinam exſtruere: quî enim, quod citra parentum curam, ipſis plane nec ſentientibus, nec advertentibus formatur, nutritur, & perficitur, horum induſtriæ, tanquam cauſæ efficienti, adſcribi poſſet? nec

in

in natura demum, communi illo Atheorum aſylo, rei quærendum eſſe calculum; cum, quomodo ab hac, rationis ipſa experte, opus tanta ratione ubique conſtructum proficiſci poſſit, concipi plane nequeat. Ne dicam, intellectum, & voluntatem, quorum tamen habitaculo corpus noſtrum eſt deſtinatum, ob eandem cauſam a natura ſibi relicta deduci neutiquam poſſe. Quid igitur reſtat? hoc reſtat, ut cum nihil dictarum rerum pro explicanda corporis origine ſufficere, apertum ſit, ad Ens entium, recurramus, ſummum, perfectiſſimum, optimum, & quod cætera omnia, & naturam ipſam infinitis modis tranſcendat. Et hoc Deus eſt! Et huius exiſtentiam ſolius naturæ luminis ductu re ipſa pridem fuiſſe cognitam, tota Ethnicorum Schola loquitur. Unus ſane pro omnibus hic, ut ita dicam, reſpondet Tullius, quando l. 1. de Leg. c. 8. ait: *in hominibus nulla gens eſt neque tam inmanſueta, neque tam fera, quæ non etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat.* Quid ſi Senecam, Plautum, Ovidium, cæterosque, quorum evidentia in hanc rem exſtant teſtimonia, hic producerem, nonne multis, qui a Chriſto nomen trahunt, & tamen in cordibus ſuis dicunt, non eſt Deus, pudorem incuterem? Fecit id jamdudum Artis noſtræ Coryphæus Galenus, qui

quantumvis Ethnicus, ſola corporis humani ſtructura impulſus Conditori ſuo hymnum componere coactus fuit hunc in modum. *Exiſtimo*, inquit, *in eo eſſe veram pietatem, non taurorum hecatombas ei plurimas ſacrificari & caſias, aliaque ſexcenta unguenta ſuffumigari: ſed ſi noverim ipſe primus, deinde & aliis expoſuerim, quænam ſit ipſius ſapientia, quæ virtus, quæ bonitas. Quod enim cultu conveniente exornare omnia, nullique bona inviderit, id perfectisſimæ bonitatis ſpecimen eſſe ſtatuo: & hac quidem ratione eius bonitas hymnis nobis eſt celebranda. Hoc autem omne inveniſſe, quo pacto omnia potisſimum adornarentur, ſummæ ſapientiæ eſt: effeciſſe autem omnino, quæ voluit, virtutis eſt invictæ. Ne igitur mireris, Solem, Lunam, & univerſam aliorum aſtrorum ſeriem ſummo artificio deſcriptam eſſe neve te attonitum magnitudo eorum, vel pulchritudo, vel motus perpetuus, vel circuitionum certa deſcriptio reddat adeo, ut ſi inferiora hæc comparaveris, parva tibi videantur eſſe, & omni ornatu carere. Etenim ſapientiam. & virtutem, & providentiam hic quóque invenies.* Et hæc l. de iis. part. 3. c. 10. Ethnicus! Non parvo ſane eorum dedecore, qui inter Chriſtianos nomen profeſſi non ſolum ex vulgi, ſed etiam (quod dolendum) ex Literatorum cœtu talia vel dictis, vel factis proferunt, quæ de Atheismo, exſecrabili illa

Vipe-

Viperarum infernalium progenie teſtantur. Nam in eruditorum etiam cœtu.

Sunt, qui in fortuna jam caſibus omnia ponunt,
Et unllo credunt mundum rectore moveri.

Sicut hos deſcribit, & graviſſime deinde in eos invehitur doctrina, & pietate inſignis Vir, Theophilus Spizelius, in Felic. ſui Literat. Comment. 1, de Literat. quorund. Atheismo. Abit autem a quovis Chriſtiano, præſertim a Medico, dum vel per transennam ſic ſtupendam hanc corporis machinam intuetur, ut de Architecto dubitet! non minus quippe is ex Anatome ſua Deum leget, quam ex Philoſophia ſua Experimentali ſuperiori ſeculo Robertus Boyle, Eundem agnovit, de quo Illuſtri Anglo conſtat, Eum pietatem ſuam in fine vitæ vel eo maxime declaraſſe, quod per teſtamentum ſalarium docto, pioque Viro conſtituerit, qui quotannis orationes octo ſacras ad populum recitaret, in quibus contra infideles, Atheos puta, Deiſtas, Paganos, Judæos, & Turcas religionem Chriſtianam defenderet; ceu ex Act. Erudit. Lipſ. m. Septemb. Anni 1693. id patuit.

USUS.

Fluit ex dicta hac humani corporis lustratione promte ſatis.

DESIDERIUM COGNOSCENDI DEUM. Quod enim proverbio ſolemus exprimere, quod ignoti nulla cupido, hoc non ratio ſolum, ſed & experientia ſatis confirmat. Sic nullus Alexander plures unquam ſibi optavit mundos, re ipſa nempe, quia de eorum exiſtentia nondum conſtat. Et nemo mortalium metallum auro ipſo pretioſius deſiderat; quia tale nondum innotuit. Eodem modo & Dei cognitionem nemo quærere poſſet, ni de vera Ejus exiſtentia exſtarent teſtimonia. Extant autem (ipſi ſoli ſit laus!) non pauca, ſed innumera, non manca, ſed perfecta, non obſcura, ſed aperta: imo, ſi ſolum ſpectes corporis noſtri machinam, apertiſſima. Quid ergo aliud hinc naſci poteſt, quam deſiderium cognoſcendi Eum, qui tot documentis ſe declaravit, & *inviſibilia ſua a creatione mundi operibus intellecta perſpicienda dedit*, Rom. 1. v. 20. Certe, ſi Philippus, Macedonum Rex, Athenarum urbis, quam Cleantes miris laudibus extulerat, & tabula quadam adumbraverat, tanto deſiderio olim captus, ut exclamaret: *ut hæc urbs mea ſit*

au

aut auro, aut ferro efficiam; quid nobis ſtructuram humani corporis contemplantibus, & architecti præſtantiam hinc colligentibus non convenire arbitramur? Nonne majori longe jure hic quadrarent verba? ut quis diceret: Conditor hic ut plenius a me cognoſcatur, imo ut meus tandem ſit, & auro fidei, & ferro conſtantiæ efficiam. Nec aliam hic mentem veris omnibus, ſolidæque felicitati intentis Philiatris fuiſſe, certiſſimum eſt. Unus omnium interpres eſſe poterit, memoratum jam Salanæ Academiæ Deus, Rolfincius, cujus ex melliſluo ore quin ſequentia hic integra apponam, prætermittere plane nequeo. Ille Diſſert. Anat. Meth. Synth. exarat l. 1. c. 6. *Si quis omiſſa divinæ illius, quâ præditus ſpirat, auræ particula, corporis ſaltem ſtructuram ubique ſtupendam, vel quaſi per transennam obiter adſpiciat: nil niſi* ἀΐδιον παντοκράτορος τȣ̃ Θεȣ̃, *potentiam, & ſapientiam prorſus* ἀνεξερεύνητον *animadvertit, ejusque veſtigia vel in minimis etiam partibus deprehendit:* Et porro: *hujus* (humani corporis ſtructuræ nempe) *admiratores qui fiunt, ſedulo inquirunt, quis tam pulchræ imaginis conditor, quis ſacræ Palladis arcem, mentis ſacrarium cerebrum regiæque illius aulæ columnas, ſinus, plexus, labyrinthos, nervorum innumeras ex argenteo fune exſurgentes ſcaturigines procrearit? quis oculorum*

rum pictor exſtiterit, in illisque Solis portis, geminisque animi feneſtris lucem, ignem, & cryſtallinum humorem incluſerit? quis nares, & aures ternatiles fabrefecerit, in iisque aerem, ceu in carcere captivum teneat? quis labra rubentibus roſis conveſtierit, inque lingua iis obſepta humorem aqueum derivaverit? quis pyramidalem impreſſerit cordi figuram? pulmonum fiſtulas ſculpſerit? quis jecoris ſtamina texuerit? quis alvo capacem amplitudinem tradiderit? nec deſiſtunt inveſtigare, quis ille ſit, qui ceu rivos aquarum, venas diſtribuat? quis arteriarum ingentes, & animoſos fluxus cohibeat, ſanguinemque æſtuantem, ceu limitibus certis, in utrisque coërceat? quam admirabilis artifex venarum, & arteriarum continuos fluxus, & refluxus, momentaneosque a corde in univerſas arterias & ex arteriis in venas, ita & reditu negotioſiſſimo, officioſiſſimo, cœleſtis circularis in orbem motus æmulos acceſſus, & receſſus ſtatuerit? Et hucusque laudatiſſimus Vir, l. ſuperius cit. ubi, & quidem c. 7. plerarumque humani corporis partium occaſione de Virtutibus quibusdam pulchre quoque diſſerit. Neque vero in ſimplici hac ſupremi Opificis cognitione, ut ſciamus, quis ille ſit, acquieſcendum, ſed & procedendum ulterius, &, qualis ille ſit, quæ nimirum Eiusdem ſit ſapientia, quæ virtus, quæ bonitas, porro nunc indagandum.

THE-

THESIS II.

Deus eſt ſumme Bonus.

PROBATIO.

EQuidem, quid ſit Bonitas, obſcurum eſſe nequit; intelligimus ſiquidem per illam talem perfectionem, quæ, ut omnis mali expers, ſic & propriam felicitatem inter alios quoque lubens diſtribuit: & bonum proin illum dicimus, in quo nihil mali, ſive vitii, & ita conſummata virtus ineſt, quæ in juſtitia maxime poſita, cæteras virtutes omnes ideo continet, quod ad aliorum commoda refert; unde & ἀλλότριον ἀγαθὸν appellata: Verbo: *bonus is eſt, qui prodeſt, quibus poteſt, nocet nemini;* ut ait Cicero l. 3. Offic. c. 15. Etiamſi igitur eo nomine Deus bonus dici nequeat, quo dicuntur homines, in quibus, ut cæteræ virtutes, ſic & bonitas eſt per modum accidentis, & modo quodam inperfecto, ut Scholæ loquuntur, rei tamen neceſſitas nunc exigit, ut Bonitatem Creatoris, dum nimirum illa ſimpliciter, & in proprio ac formali ſuo conceptu capitur, & ſecundum quem revera ſoli Deo competit, in quantum quidem in corporis noſtri ſtructura eadem ſeſe exſerit, paulo latius nunc deducamus. Scilicet, ſi dicti corporis partes, & hinc reſultantes

fun-

functiones juſto ordine nobiscum ponderemus, quid aliud tandem concludendum, quam hoc? quod *in Bonum omnia!* Deprehendemus ſane, nullam corporis hujus partem, imo nullam particulam fruſtra a Creatore optimo conditam; ſed omnes eas potius, & ſingulas, ſive ad propagationem ſpeciei, ſive ad conſervationem individui, & in hoc iterum vel ad eſſe, ut loquuntur, vel ad melius eſſe, effabricatas. Neque enim hic ſcire ſufficit, os ad cibos concoquendos, manus ad apprehendendum, pedes ad incedendum, ad viſum oculos, ad auditum aures, &c. homini a natura data: ſed ſi horum Organorum partes porro, quas vocant, integrantes examinemus, tum demum conditoris bonitas in ſingulis magis eluceſcet. Quorſum enim, ut a partibus ſimilaribus communibus vulgo dictis exordiar, natura tot fecit fibras? niſi ad partes contexendas, motumque efficiendum: quorſum poſuit oſſa? niſi ad partes molliores ſtabiliendas, firmandasque: quorſum cartilagines? niſi ad facilitandum osſium iterum motum. Membranas, & Ligamenta inveniemus; ubi quidem illæ inveſtiendis cæteris partibus, vaſisque ac canalibus efformandis, hæc colligandis præſertim oſſibus inſerviunt: Arterias, & Venas, quarum illæ ſanguinem a corde ad ſubſtantiam corporis de-

deſerunt, hæ eundem referunt. Quorſum porro tot Vaſa lymphatica? niſi ut ſerum nutricium vehant. Quorſum Nervi? niſi, ut ſpiritus ad partes reliquas derivant. Quorſum Glandulæ? niſi ut ſpecialem materiam à M. S ſegregent. Quorum muſculi? niſi ut ſint motus localis inſtrumentum. Quod ſi ulterius progrediamur, & juxta receptum paſſim ab Anatomicis diſtinctionem, qua totum corpus in Ventres, & Artus dividunt, cuncta ordine luſtremus, quanta non ex ſingulis bonitas? quanta non utilitas emerget? Non prolixus jam ero in partibus abdominis, quæ continentes dicuntur, recenſendis; quomodo nimirum Cuticula ad tegendam cutim, Cutis iterum ad tactum, Pinguedo ad fovendas lubricandasque eiusdem partes, muſculi abdomini proprii ad contenta illius promoveuda, Peritonæum denique ad viſcera abdominis continenda ſint deſtinata? eæ ſiquidem Ventri huic partes ſunt contentæ, quarum vel ſolum accuratius examen vetitatem aſſerti noſtri comprobabit. In conſpectum hic veniet Ventriculus, cujus in concoquendis cibis poſitus uſus licet & vulgo cognitus ſit; ſolicitius tamen ſtructuram ejus inveſtiganti conſtabit, aliam eſſe tunicam, quæ operiat, aliam, quæ motum, aliam, quæ ſenſum, aliam denique, quæ liquorem ſol-

vendis

vendis cibis dicatum, fermentum alias dictum impertiat. Videbit is non Inteſtina ſolum, eaque vel tenuia, ad ulteriorem chyli elaborationem, vel craſſa, ad recipiendas potiſſimum fæces conformata, verum etiam hæc ipſa pari tunicarum apparatu inſtructa, donata ſic & multis glandulis, quarum aliæ chylum in venas lacteas percolant, aliæ humorem peculiarem pro perficiendo in Inteſtinis chylo ſecernunt; quemadmodum docto certamine Epiſtolari inter Joh. Conradum Peyerum, & Johannem de Muralto de glandulis Inteſtinorum habito id tandem eluxit. Et quid de Meſenterio dicam? communi illo inteſtinorum non ſolum vinculo, ſed arterias etiam, venas, & nervos ad hæc eadem deducente, ut venas lacteas ab iisdem reducente. Parvæ quidem mole hæ ſunt venæ, adeo, ut præterito demum ſeculo a Caspare Aſello agnitæ innotuerint, ſed uſus earum longe maximus, hic nimirum, ut chyli portionem laudabilem ex Inteſtinis receptam ciſternæ chyli tradant, ex hac mediantibus ductu thoracico, & vena ſub clavia ad ſanguinem porro transmittendam: ut proin, niſi hæ eſſent venæ, nec chyli in Inteſtinis diſtributio, nec ejusdem in ſanguinem converſio, nec ipſa hominis nutritio, ad vitam conſervandam ſimpliciter neceſſaria abſolvi poſſet. Ad

quem

quem quidem finem & alia concurrunt ſtructura non minus, quam uſu inſignia viſcera. Ut enim Omentum, lienem, cæterasque, de quarum primario uſu acrius adhuc diſputatur, partes taceam; quid aliud eſt Pancreas, quam glandula ad filtrandum pro diluendo chylo ſuccum deſtinata? Quid aliud Hepar, quam pars pariter glanduloſa, ad ſegregandam a Maſſa ſanguinea bilem conſtructa? Tantum autem abeſt, ut juxta veterum opinionem inutile excrementum bilis ſit, ut potius eadem ad chylum & fluxilem reddendum, & calefaciendum, & a corruptione conſervandum, adeoque ad ſanguificationem ipſam ſustentandam egregie faciat. Quid de Renibus porro dicam? quorum munus eſt, ſeparare a ſanguine liquorem, qui alimenti hactenus vehiculum fuit, urinoſum, huncque ſeparatum per Ureteres mittere ad Veſicam. Quid de Veſica ipſa? quam urinæ & recipiendæ, & tempore opportuno foras emittendæ inſervire novimus. Et hæc in uno ſaltem, Abdominis nempe Ventre, potiſſimum conſideranda veniunt. Thoracis ſane, qui Diaphragmate tanquam pariete ab Abdomine diſtinguitur, non minores, imo majores erunt dignitates. Nolo de mammis multa diſſerere, quas in fœmineo pectore ad lac elaborandum, prolemque ſic conſervandam provida Natura exſtruxit; nec de coſtis Thora-

cem firmantibus, musculisque pectoralibus respirationi deſtinatis, de Pleura, & Mediaſtino membranis, quarum illa interius cingit, hæc in duas partes thoracis cavitatem dividit; prolixa verba faciam. Una ſiquidem Cordis, Pulmonumque ſtructura attentius perpenſa Theſis noſtræ veritatem abunde adſtruet. Cor enim ſi ſpectemus, partem quidem muſculoſam exiguam obſervabimus, ſed cujus uſus longe maximus, hic nimirum, ut reciproca ſui dilatatione, & conſtrictione ſanguinem per venas ab omnibus corporis partibus in ſuas cavitates recipiat, eundemque rurſus per arterias ad omnes partes ejiciat. Deprehendemus ſic in Corde Ventriculos; quorum contractione in omnes partes mediantibus arteriis ſanguis expellatur, auriculas, quæ ſanguinem per venas revertentem ipſo ſyſtoles momento recipiant; valvulas, quarum aliæ ſanguinis ad cor regreſſum, aliæ ejusdem à partibus relapſum impediunt. Ne de ipſa cordis ſubſtantia, & multiplici fibrarum componentium tractu dicam, quarum ſane mechanica diſpoſitio attonitum ſpectatorem reddit, & de ſingulari admirandi adeo viſceris uſu plane certum. Pulmonis pariter ſtructuram mirabimur! proximum enim reſpirationis organum cum hic eſſe debeat, omnes quoque ejus partes huic uſui accommodatas animadvertemus. Neque enim alio fini

ille

ille indigebat artificioſâ adeo fiſtula, quam Tracheam, & aſperam arteriam dicimus, aut tot vaſis tam ſanguiferis, quam aeriferis, in veſiculas tandem pulmonales deſinentibus, niſi ut ſubtili aëreo hac ratione cum ſanguine communicato ipſe ſanguinis inteſtinus motus, vitæ illa noſtra origo & cauſa, promoveretur, & ſuſtentaretur. Ut quoque taceam, inter ſecundarios pulmonum uſus & loquelam numerari; at quantum bonum! quo vel ſolo ratione præditus homo tantum inter cætera animantia caput ſuum effert.

Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi.

Sed ad tertium Ventrem, qui capitis nomine venit, mea feſtinat oratio. Cujus quidem conditionem expoſiturus, quid primo memorem, & unde potiſſimum exordiar, non reperio: tanta hîc rerum omnium varietas! tanta plerarumque dignitas! Quod enim partes hujus Ventris continentes proprias, & illas quidem, quæ magis in ſenſus incurrunt, attinet, quare tot pilos hîc produxit Natura, niſi ut ornamento capiti conciliato, & noxium Boreæ frigus, & inclementes ſub acriore ſole radios iidem excluderent? quare in fronte, tanquam in ſpeculâ, locavit Oculos, niſi ut viſus organa conſtituerent? neque enim alium in finem tot membranis, humoribus, imo nervo, qui vocatur, Optico hic indigebant, niſi ut radii luminis per tuni-

cam Corneam, & Uveam transmiſſi, perque humorem aqueum, cryſtallinum, & vitreum varie refracti, ſpecies viſibiles in tunicâ retinâ quaſi depictas mediante nervo optico cum cerebro communicarent; ne dicam de muſculis, & glandulis, ad oculorum varium poſitum, motumque faciliorem conſervandum a Benigno opifice conceſſis. Quid de Aure loquar? cujus externa conformatio ut ad ſonum excipiendum certe eſt aptiſſima, ſic tota ſtructura interior eo tendit, ut aer ſonoriferus in meatu auditorio nonnihil alteratus, perque membranam Tympani ulterius propagatus, hinc ex concha in labyrinthum prolapſus, ibique mirum quantum auctus, in cochlea vero iterum emollitus, debita demum proportione nervum attingat acuſticum; concurrunt ſcilicet eò omnia, ut auditus, quem diſciplinæ, & ſocietatis ſenſum recte ſane appellant Phyſici, rite abſolvatur. Olfactus Organon ſi examinaverimus, tunicam deprehendemus nervoſam, moderate humidam, utque varias interiorum narium lamellas inveſtientem, ſic & excipiendas particulas odoriferas quam maxime idoneam. Si Guſtus inſpiciatur Org non, non ſolum Linguam (quam deglutitionis inſtrumentum, & plectrum vocis alias apte quoque dixeris) ſed & totum palatum nervorum protuberantiis in papillarem formam redactis referta videbimus, ad id conſtructis, ut par-

particulæ ciborum ſapidæ mediante ſaliva extractæ hac ratione perſentiantur. De Dentibus hic, qui ſingulariter non ſolum maxillas ornant, ſed &, dum maſticationis inſtrumenta audiunt, armant, diſſerendi occaſio eſſet; ſed ad interiora Capitis, & quæ ob excellentiam altius natura abſcondidit, vocor. Ablata enim ſuperiore parte Cranii (quod una cum maxillis conſideratum totius Capitis quaſi oſſeum munimentum appellaveris) prodibit ſubſtantia illa mollis, facile diviſibilis, & ſecundum diverſas partes magis, aut minus albicans, cujus globum quidem anteriorem & majorem Cerebrum, poſteriorem & minorem Cerebellum Anatomici nuncupant: quam tamen antequam rite detexeris, removendæ erunt duæ membranæ, dura & pia Mater, dictæ, tum ad inveſtiendam delicatam hanc ſubſtantiam, tum ad vaſa ejus fulcienda, & ad interiora usq; ſuſtentanda effabricatæ. Utramq; ſubſtantiam, & quæ cerebri, & quæ cerebelli nomine comprehenditur, in partem corticalem, & medullarem Anatomici dividunt; quarum illam innumerabilium glandularum acervum, hanc tubuloſorum ductuum in nervos deinde faceſſentium congeriem nonnulli microſcopii beneficio deprehendunt: eleganti utique Obſervatione, ſiquidem & hac ratione appareret, aliam eſſe ſubſtantiam Cerebri, quæ Spiritus ſeparat, aliam, quæ ducit. Neque enim aliud quid ſic

erit Cerebrum, cujus lata ſignificatione & Cerebellum nunc intelligo, quam Spirituum animalium Officina, & Promtuarium, ex quo per nervos, tanquam proprios canales, vel immediate, vel mediate, mediante ſcilicet Spinali medulla, utpote ſecretioni ſpirituum pariter inſerviente, corpora hæc ſubtiliſſima in partes ſubjectas deriventur, idque ad ſenſum, & motum in iis efficiendum. Verbo: ad conſervationem totius naturæ, animalis nempe, Cerebrum cum ſuis appendicibus eſſe factum, ratio, & experimenta loquuntur. Jam de Artubus quoque dicendum eſſet; per quos Anatomici manus, & pedes intelligunt: per pedes porro totum ab abdomine in pedis proprie dicti digitos usque deſinens, ſicut per manum non ſaltem manum vulgo dictam, ſed & totum brachium indigitantes. Occurrunt enim & hic præter peculiaria quædam oſſa variæ & diverſæ partes, muſculi ſcilicet, membranæ vaſa: verum, ut harum partium uſus ex ſuperioribus jam colligi poteſt; ſic de oſſibus in ſequentibus commodior tractandi dabitur occaſio. Quemadmodum & de Organis generationis utriusque ſexus, eorumque ſpecialiori uſu, ubi Divinæ Providentiæ teſtimonia explicabuntur, ſermo erit. Vel talpa interim cæcior eſſet, qui ex his expoſitis Dei Bonitatem non agnoſceret; & ubi hanc agnovit, cum pio Auguſtino in Pſalm. 124. non exclamaret: *omnia*

bona

bona ipſe fecit: ipſe eſt bonus, quem nemo fecit. Ille bono ſuo bonus eſt; non aliunde participato bono. Ille a ſe ipſo bono bonus, non adhærendo alteri bono. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, qui non eguit, a quo fieret bonus, ſed eguerunt illo cætera, ut fierent bona.

USUS.

Neque vero alius hic eſſe poteſt, quam Ejus, quod Bonum omnis Boni ſic meritò audit, ſupra omnia

DILECTIO. Quis enim non amaret illudEns, à quo (ut ab argumentoMedico non recedam) tot membrorum ad ſui conſervationem ſpectantium apparatu ſe donatum intelligeret? Sane, ſi gratiam habemus illi Chirurgo, qui externi dedecoris vitandi ergo amputatum membrum membro quodã artificiali reſarcire novit, ne dicam, ſi is naturale membrum redderepoſſet; plus certe debemus Deo, qui tot nobis membra, eaq; ſenſu, & motu prædita dedit, nec ſolum dedit, ſed & data ad functiones rite obeundas conſtanter conſervat. Summis igitur cumvel hoc ſolum nomine beneficiis nos affecerit Deus, ſumme etiam Is nobis amandus, h. e. cunctis creaturis, amicis, parentibus, imo nobis ipſis antepo-

nendus, & ita anteponendus, ut Ejusdem voluntas ſuprema noſtra lex ſemper audiat, ad quam tum animi, tum corporis, & quæ nobis dedit, membrorum actiones ſingulas componamus. Verbo: *valde nobis amandus eſt, per quem ſumus, vivimus, & ſapimus*; ut paucis totam rem complectitur S. Bernhardus Serm. 20. ſuper Cantica. Et utinam tantum feliciſſimam hanc Virtutum omnium matrem ſerio omnes ſectarentur! Utinam invenirentur plures, qui nonniſi hoc amore ducti in veræ pietatis tramite conſtanter procederent! Neque enim hic ſufficit, ſi quis dicat, ſe diligere Deum, niſi & proximum, cujus dilectionem indiſſolubili quodam nexu cum dilectione ſui ipſe Deus copulat Joh. 13. v. 35. & 1. Joh. 4. v. 20. & 21. amore proſequatur. Neque porro ſufficit, proximum dilexiſſe, niſi quis ipſa Dei bonitate, innumerorumque, quæ quotidie in nos confert, beneficiorum commemoratione impulſus eundem diligat. Paucos, ſi ad hanc normam rem examinaveris, Deum vere amantes deprehendemus; hoc imprimis tempore, quo Divini cultus prætextu tria illa mundi numina, honores nempe, opes, & voluptates quivis fere adorat. Nonnullos tamen etiamſi oppido paucos, ex Medicorum etiam ordine Lydium hic ſuſtinuiſſe, præclara de iis annotata dubitare nos non ſinunt. Spectabit certe huc inſignis ille trium Imperatorum,

torum, Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolphi II. Archiater, Johannes Crato a Kraftheim, de quo memoria proditum eſt, eum non ſolum tradita a Luthero & Melanchthone pietatis præcepta per omnem ætatem coluiſſe, lectione Biblica, cui totum ſe ſupremo vitæ tempore abdidit, denuo ſibi formaſſe, & beata tandem εὐθανασίᾳ feliciter obſignaſſe, verum etiam juvandi proximum ſtudio cogitationes, curas, & mentem denique omnem impendiſſe. Unam enim è præcipuis ſuis voluptatibus aulicis ut Vir laude digniſſimus hanc habebat, ſi plurimis prodeſſet, ſic & morbis curandis quoscunque potuit (juvit autem quam plurimos) juvit, multis interceſſione ſua apud Cæſares gratiam, privilegia, honores, & alia pene innumera beneficia impetravit, imo e periculis maximis non paucos éripuit; indicio manifeſto, non vulgare fuiſſe principium, ex quo tantus ſublevandi proximum ardor, & inuſitata φιλαδελφία promanarit. Annumero huic, idque æquiſſimo utique jure Wittenbergenſe illud Decus, Danielem Sennertum, Virum ſicut doctrina Medica, ita & præclaro hoc Dilectionis Dei charactere plane inſignem. *Incredibili Eum* (ſunt verba Spizelii Lit. ſui infelic. Commoneſ. 33. §. 6.) *fide, prudentia, ſtudioque, non academiæ ſolum Wittenbergenſis res curaſſe perhibent, verum cujuscunque fortunæ homines, ſummos, imos, proceres, cives, ægros, feſſos,*

& ultima quæque metuentes ſalutari ope levaſſe, cunctis præterea INUSITATÆ PROBITATIS, & abſolutæ cujusdam, quanta in hominem cadere poteſt, VIRTUTIS exemplum ſuppeditaſſe, atque præluxiſſe, quousque ſempiternum fidei, ac pietatis ſinceræ præmium impetrarit. Nec difficile, ſi neceſſitas efflagitaret, hîc eſſet de aliis quibusdam, Joachimo luræo v. g. Poliatro illo Glogovienſi, nec non de Flaminio Gaſtone, Lignicenſi, & Bergenſi Archiatro, quorum ſingularis præterea lectionis Biblicæ & ſacrarum meditationum amor quoque prædicatur, idem nunc evincere. Neque enim lectionis V. D. ſtudium Divinæ Dilectionis parvum eſſe documentum, certum utique eſt, id quod Medicus alius, Matthias Ratzenbergerus, non obſcure prodidit, dum quibusdam asſiduum exercitium Biblicum ipſi exprobrantibus, & Galeni potius ſcripta commendantibus reſpondit: *ſe non in Galeni nomine baptizatum, hunc quidem ſanitatis corporeæ regulas, ſed non ſalvandi præcepta tradere*, de quo Jul. Wilh. Zinckgräfe in German. Apopht. Edit. Weis, part. 2. pag. 40.

THE-

THESIS III.

Deus eſt Omnipotens.

PROBATIO.

ET Omnipotentiæ quidem Divinæ, cujus, ſcribente Galeno, eſt quæ voluit effeciſſe, ubique apparent veſtigia. Nos potiſſima iterum ſelecturi ab ipſa hominis generatione faciemus initium; quæ quidem, ut in pleriſque captum noſtrum ſuperat, ſic de admiranda Dei virtute nos plane certos reddit. Quis enim, niſi ſedula phœnomenorum naturalium obſervatione convictus crederet, ex parvo adeo ovulo, quale in mulierum ovariis reperitur, & quod teſte nunc αὐτοψίᾳ ad piſi molem vix accedit, ſolum tamen pro materiali generationis principio habetur, poſſe produci ſpecioſam adeo Creaturam, qualis eſt homo? quis porro crederet, fœtum deinde formatum, & perfectum per anguſtum adeo Cervicis uteri orificium, quod in virginibus vix ſtylum tenuiorem admittit, denſæ præterea & admodum compactæ ſubſtantiæ eſt, traduci & excludi poſſe? Infante in lucem edito, quis crederet, ex rubicundiſſimo matris ſanguine candidiſſimum ipſi, quale lac eſt, nutrimentum depromi poſſe? neque enim de hac

lactis

lactis origine recentiorum ſedulitate edocti vel tantillum dubitamus. Ad Senſoria delati ſtupemus ſane, ſi labyrinthum mirando artificio auditus oſſi inſculptum; ſi tunicam oculi retinam, at quam particulam! tot ſpecierum viſibilium, ſi membranam interiora narium inveſtientem tot effluviorum odoriferorum capacem deprehendimus. Nec minoris momenti res Vocis formatio eſt; quam ex craſſiori per Expirationem revertente aere produci, & concurrentibus larynge, lingua (cujus apex nodus hactenus fuit Anatomicorum induſtriæ plane indiſſolubilis) & labiorum motu perfici novimus: luculento Omnipotentiæ Divinæ teſtimonio, quo conſtaret, non grave huic eſſe, ex rebus ignobiliſſimis nobiliſſimos elicere effectus. In Pulmonibus deinde mediante aere ſubtiliori candidiſſimum iterum chylum in purpureum exaltari colorem, ut ſanguinis poſtea nomine in totum corpus diſtribui poſſit, quis eſt, qui non miretur? Parvus etiam muſculus, ſi reliquum corpus ſpectes, Cor eſt; hic tamen reciproca ſui dilatatione, & conſtrictione totam ſanguinis circulationem (ad vitam ſimpliciter neceſſariam dirigit, primum hinc vivens, & ultimum moriens non immerito audiens. Prolixus forem, ſi de Inteſtinali ductu, quem arcto abdominis ſpatio ut ut comprehenſum, a meſenterio tamen ſeparatum, ſextuplo longiorem ipſo, cu-

jus erat, homine Anatomici obſervant, multa verbá facerem: ſi de Teſtibus virilibus diſſererem, quorum ſubſtantiam recentiorum diligentia detexit eſſe minutiſſimorum vaſculorum congeriem, quæ, ut addunt, ſi absque diſruptione diſſoluta ſibi invicem annecterentur, facile viginti ulnarum longitudinem excederent. *Magni* autem, ut cum Stoico loquar, imo potentiſſimi *artificis eſt, tota hæc in exiguo adeo clauſiſſe!* Et quis artificioſam plane, & Mechanicam ipſorum musculorum ſtructuram, ab inclyto Stenone accurate primum detectam, non ſuſpiceret? deprehendet enim quot fibras carneas, tot quaſi vectes, tendinibus ſuis affixos, adducendisque ſic & elevandis gravisſimis ponderibus aptiſſimos. Verum, ne in minimis quoque hanc ſummi Architecti virtutem deficere, arbitremur, pili conditio efficit. Quid pilo, quæſo, vilius? ſaltem cujus jactura minus attenditur? curioſa tamen ejus mediante viſcido glutine facta radicatio: curioſior interna cavitas: imo curioſiſſima, quam diligentes naturæ ſcrutatores microſcopii beneficio nobis exhibent, exterior facies, non, prout apparet, recta & æqualis, ſed nodoſa, multisque ramusculis ornata. Quin, quod in humani pili particula, cujus longitudo craſſitie ejusdem minor, aliquot centena vaſcula ſic depingat Blancardus! quâ ſtante obſervatione, quomodo pili non ſolum nutrian-

tur,

tur, ſed & ſubitum adeo incrementum ſumant, in propatulo eſſet. Vid. Philippus Verheyen, Corp. hum. Anat. tract. 4. c. 1. qui & tabul. 3. ex eodem Blancardo texturam Cutis glandulis, papillis nerveis, vasculis ſudoriferis, crinibus, & vaſis ſuis ſubcutaneis conſtantem eleganti ſchemate repræſentat. Qui enim ſingula Omnipotentiæ Divinæ in corpore noſtro veſtigia tenuis hæc pagella capiat?

USUS.

De uſu potius Meditationis hujus ſoliciti ad primariam iterum virtutem devolvimur. Eſt autem illa

TIMOR DOMINI, quo abſoluta Dei convicti Poteſtate ad nutum hujus παντοκράτορος cuncta & dicenda & facienda, mentem denique omnem componere nitimur. Æquiſſimum ſcilicet, ut, quem ſupra captum noſtrum operari ſic intelligimus, in actionibus noſtris conſtanter reſpiciamus, ſeduloque, ne tanti Numinis iram in nos concitemus, caveamus. Quis enim, quæſo, non timeat illud Ens, quod, qua mirandum in modum conſtruxit, eadem, ut ita dicam, opera deſtruere iterum corpus ſuum poſſe, haud vane hariolari poteſt? Quis Ejus Majeſtatem non vereatur, cui cunctas creaturas tum anima-

tas

tas, tum inanimatas ad ſui perniciem armare, in proclivi eſſe, novit? Et ſane, quantum ad timendum Deum, vitamque pie inſtituendam hæc Omnipotentiæ Divinæ Conſideratio incitamentum præbeat, Ipſe Deus in verbo quoque ſuo revelato ſatis innuit, quando Genes. 17. v. 1. Abrahamum ita alloquitur: *Ego Deus Schaddai (Fulminator) ambula coram me, & eſto integer.* Potuiſſet ſane ſupremus Arbiter ſive Omniſcientiam, ſive Immenſitatem, ſeu Æternitatem, ſeu cætera allegare Attributa, ſed placuit Ipſius ſapientiæ Omnipotentiam: indicio manifeſto, firmiſſimum eandem includere ad vitam probe decenterque transigendam argumentum. Quale quidem & tanti ponderis in laudatiſſimo Patriarcha fuit, ut ab inito ſemel cum Deo fœdere nulla vi, nullove periculo poſſet depelli. Et qui depelli potuiſſet? eo quippe erat animo, quem deinceps expreſſit Auguſtinus, tr. 3. in Epiſt. Joh. dicens: *exhorreſce, quod minatur Omnipotens, ama, quod pollicetur Omnipotens, & vileſcit omnis mundus, ſive premittens, ſive terrens.* Nec aliam veris omnibus, ſolidamque demum felicitatem anhelantibus Poliatris mentem fuiſſe, quæ hinc illinc de iis conſignata reperimus, perhibent. Refero huc (ut alios multos taceam) Auguſtinum Schurfium, Medicum in Academia Wittebergenſi celeberrimum; qui ut agnitione Dei fuit egregia, ſic a

timore

timore Ejus, quem agnovit, peculiariter inprimis laudatur. Sic in Sebaldo Havenreutero, Medicinæ quondam & Profeſſore & Phyſico Argentoratenſi, hunc Dei timorem ἀνυπόκριτον fuiſſe, hinc & ſingularem morum gravitatem, in omni officio juſtitiam, & ſanctitatem in Viro profluxiſſe, ſcribitur. Et quanti hanc Virtutem fecerit Balthaſar Timæus a Güldenklee, Ille Potentiſſimi noſtri FRID. WILHELMI glorioſiſſimæ memoriæ Archiater, Colbergenſisque ſimul Reipublicæ Conſul, non obſcure ex Epiſtola quadam ad Johannem Edwardum Filium de ſtudio Medico recte inſtituendo directa patet, cujus 1. ſtatim §. inter alia & hæc habentur: *Deum ante, & ſuper omnia timeas, memor ſymbolici Anagrammatis Avi tui paterni: ANTE OMNIA JESVS! Pietatem colas fundamentum omnium virtutum & felicitatis, quæ utilis ad omnia promiſſionem habet hujus, & futuræ vitæ.* Et paucis interjectis: *Diebus Domini, & feſtis nihil profani, nihil ludicri, quod multis familiare eſt, tractes, ſed cultui ſacro totum te mancipes, auſcultationi Verbi Divini, vel Bibliorum aliorumque, aut horum ſacrorum lectioni deditus: grave quippe eſt tonantis Jehovæ monitum: memento, ut diem Sabbathi ſanctifices; & honorantes Deum Ipſe viciſſim honorabit;* ceu in epiſt. ipſa Operib. Med. Pract. Viri laudatiſſimi inſerta hæc legi poſſunt.

THE-

THESIS IV.

Deus eſt ſumme Sapiens, & Providens.

PROBATIO.

SI ſecundum Ethicorum doctrinam Sapientis quoque eſt providere, & ex hoc ſapientia appellata eſt prudentia; quam non porro Sapientiam, imo quam non Providentiam in prævidendis, & cavendis innumeris corporis noſtri incommodis declaravit ſummus Opifex? Prolixus autem forem, ſi ſingula hic excutere vellem: adeoque ſumma tantum rerum faſtigia ſecuturi tres iterum corporis noſtri Ventres, & Artus breviter perſtringemus. A Capite igitur inchoantes, quæ non in recondito hic Cerebro Divinæ ſtatim Providentiæ ſigna animadvertimus? Elargiri ſcilicet hoc reliquis corporis partibus animalem Spiritum debebat. Peculiari igitur nobili adeo, & præcipuo Organo tutela, imo curatiori munimine opus erat. Proſpexit autem de his Ei ſolertiſſima Natura non ſolum pilis, & cuto, ſed & validis Cranii oſſibus, nec ſolum his oſſibus, ſed & duabus inſuper membranis, Meningum ſive Matrum nomine vulgo appellatis, & nihil ſic intermiſit, quod ad ſartam

tectamque tam præcipuam ſubſtantiam conſervandam ullo modo facere poterat. Conformatio porro hic Ventriculorum, Glandulæ pituitariæ, Infundibuli, reliquarumque ad depurandum ipſum Cerebrum effabricatarum partium quid aliud nobis commonſtrat? ſed occurrunt & hujus Providentiæ argumenta ſi unquam alibi, certe in aſperæ Arteriæ ſtructura, & connexione evidentiſſima. Locaverat hunc reſpirationi dicatum canalem in anteriori Colli parte Natura, Oeſophagum cibis deglutiendis deſtinatum in poſteriori; ſic, ut cibos ad Oeſophagum tendentes arteriæ aſperæ rimulam transire, opus ſit. Quis autem ſuffocationis inde periculum in alimentis aſſumendis ſubinde hîc metuendum non videt? Ad hoc igitur periculum avertendum Epiglottidem rimulæ dictæ appoſitam cernimus; talem ſcilicet cartilaginem, ſupra quam ad rimulam prius ab alimentis depreſſam veluti ſupra pontem deinde procedere in Oeſophagum alimenta poſſint. Miramini, credo, creatoris hic Sapientiam! ſed quæ pariter in ipſo arteriæ trunco elucet, a parte quidem anteriori cartilaginoſo, a poſtica vero, ubi Oeſophago incumbit, membranaceo; partim quidem, ad vocis meliorem formationem, partim etiam, ne cartilagines duriores, & cedere minus aptæ deglutitionem impedirent. Deducunt vero dicti canales in ipſa nos Thoracis pene-

netralia: in quo, ſi ullum aliud, profecto Cordis Valvulæ, earumque ſingulares potius noſtrum de Divina Providentia aſſertum abunde comprobabunt. Notum quippe ex Phyſiologicis eſt, Cor, primarium illud circulationis inſtrumentum, inſtructum eſſe duobus vaſis abducentibus, arteria nempe pulmonali, & magna; duobus item adducentibus, vena nimirum pulmonali, & cava: & horum illa quidem ſanguinem ex Cordis ventriculis ad partes omnes deferre, hæc vero ſanguinem a nutritione partium redundantem ad Cordis auriculas referre. Quid autem facilius, quæſo, rebus ſic comparatis fuiſſet, quam ſanguinis aut a partibus capitis ad eos, aut ejusdem a Corde ad ſubjectas partes regurgitatio? Cavit autem hanc ſolertiſſima Natura ſuis Valvulis (ſunt pelliculæ, circa oſtia vaſorum poſitæ, una parte clauſæ, altera apertæ; ad impediendum humorum regreſſum deſtinatæ) quarum quidem alias a figura Semilunares appellatas arteriis dictis, pulmonali nempe, & magnæ appoſuit, ad ſanguinis ad cor regreſſum arcendum; alias Triangulares, Tricuſpides, & Mitrales vocatas venæ pulmonali, & cavæ adjunxit, ad ſanguinis nempe a corde relapſum ſiſtendum: quas etiam, ut & reliquorum Vaſorum valvulas fuſius deſcriptas in peculiari Exercitatione Anat. Med. Præſide B. Henrico Meibomio, Præceptore meo ætatem devenerando,

Ann. 1682. in Acad. Julia habita deprehendo, & ad eam curioſum Lectorem remitto. Venio enim nunc ad illud pariter opus, quo circulationem ſanguinis in Fœtu peragendam prudentiſſime Natura adornavit. Peragi utique & in fœtu debebat dicta circulatio; ſed ob pulmones in eo ad huc quaſi feriantes per vaſa pulmonaria nondum poterat. Aliis igitur viis, defectum hunc ſupplentibus, opus erat. Supplevit autem illum ſagaciſſima rerum Mater partim Foramine ovali, a figura ſic denominato, per quod magna ſanguinis pars per venam cavam in Ventriculum cordis dextrum rediens ex hoc ſubinde tranſit in ſiniſtrum, partim conali ſive tubo arterioſo, inter arteriam pulmonalem, & magnam poſito, qui ſanguinem reliquum per pulmonalem deſcendere conantem media quaſi via intercipit, interceptumque arteriæ magnæ infundit: ut ſic nihilominus intactis pulmonibus circulatio ſanguinis in fœtu omnis abſolvatur. Quis in Abdomine non miraretur illam inter Inteſtinum Ileum, & Colon locatam, & quominus ex hoc in illud aliquid contentorum relabatur, accurate impedientem Valvulam? Deſcribit utique graphice illam, firmumque inde Divinæ Providentiæ argumentum nectit Nicolaus Tulpius Obſ. Med. l. 3. c. 21. Quo & pertinent obliquæ illæ ductuum quorundam, Choledochi v. g. in Inteſtinum duodenum, Ureterum in Veſicam, &c. factæ in-

ſer-

ſertiones, regurgitationemque bilis, urinæ, cæterorumque humorum feliciter retundentes, Ut nihil jam magnopero dicam de ipſis Veſicæ, & Ani Sphincteribus, muſculis ſcilicet illis, qui impediunt, ne invitis nobis aliquid horum excernendorum excidat. Quis enim, ut ad Genitalia me nunc convertam, porro non attenderet angustam, adeo processus peritonæi ſtructuram, homini, & virili quidem ſexui propriam? quæ ſane niſi eſſet, cum erectus homo incedat, herniæ, & Inteſtinorum in ſcrotum decubitus quotidie eſſent metuendi. Quare autem ipſos Teſtes tot tunicis, Erythroide nempe, Elythroide, & Albuginea donavit ſummus Opifex? cur validis adeo ligamentis Uterum? cur fœtum ipſum diſtinctis pariter membranis, Chorio & Amnio, tam ſolicite inſtruxit? hanc utique ob cauſam, ut &, quantæ curæ generationis opus, ab externis cauſis alias facile ſufflaminandum, ſibi ſit, his ipſis oſtenderet. In quo quidem generationis negotio neſcio annon in Cranii etiam Suturis expoſitæ hactenus Divinæ Providentiæ lineamenta appareant? Equidem ſi ex ipſo oſſificationis opere, diverſis in locis a Natura hîc incepto, fibrarumque tandem oſſearum inæqualiter extenſarum commiſſura abſoluto, has Suturas primario natas, cum Viris nunc Excellentiſſimis dixero, paucis plurima dixero. Cum tamen & ſecundarios quoſdam Suturarum uſus

a recentioribus quoque produci videam, teſte inprimis Verheyen Corp. hum. Anat. Tr. cap. 1. ſub finem, is quem ad facilitandum partum Cl. Vir l. c. exponit, non poſtremus utique ex iisdem videbitur illi, qui quantum, ſi continuum corpus fœtus cranium eſſet, ſicque ad compreſſionem minus aptum, partus difficultas inde augeretur, conſideraverit. Saltem ergo, annon & hic pariter, dum tale tempus, quo flexilia non modo, & ſequacia, ſed & magis ſejuncta fœtus capitis oſſa erant, partui Natura deſtinavit, Divinæ Providentiæ argumentum lateat, dijudicandum relinquo. Aperta interim, ejus imo apertiſſima, ſi de Artubus pauca quædam addidero, porro nunc exſtabunt veſtigia. Occurrit utique tale in Claviculis, quarum uſum unanimi fere Phyſiologorum ſuffragio hunc eſſe deprehendimus, ut earum adminiculo brachia erecta ſuſtententur: hinc enim animantia bruta, quæ anterioribus pedibus ut manibus utuntur, qualia ſunt ſciurus, ſimia, felis, imo mures, hæc oſſa cum homine communia habere, reliqua iisdem deſtitui obſervabuntur. Et campus dicendi hic iterum mihi panderetur, ſi cautiones, quas ſummus Plaſtes in declinandis artuum cæterorum dislocationibus, modo tendinum robore, modo oſſium quorundam conformatione, adhibuit, recenſere ſingulas vellem. Exempli tamen loco ſufficiet curioſa Genu ſtructura! quam

quam cum in Diſp. Inaug. Dan. Henr. Meibomii, magni Meibomii Fil. de Patell. oſſ. ejusque læs. & curat. Franequeræ haud ita pridem habit: & quidem Th. ejus 9. eleganter deſcriptam videam, locum illum huc transſcribere operæ pretium erit. Ita autem ille: *Conſideranda eſt tota Genu articulatio, quam cum natura ſeu conditor noſter Deus per capitula majora, ſinus autem minores, rectius fieri poſſe judicaſſet, ut tamen femoris, & tibiæ oſſa libere ad ſe invicem moveri, & rotari poſſent, nec exciderent, & firmitatem etiam aliquam articulus haberet (quod in genu, dum ſtamus, & incedimus non item in aliis articulationibus requiritur) peculiari modo illi providit. Igitur tendinibus muſculorum, validis admodum, femur cum tibia connecti. & ſimul per illos, & verſus anteriora & in lateribus utrinque, ita firmare, & egreſſum capitulorum prohibere voluit, ut curſores talaribus firmant talos, ne inter currendum oſſa excidant. Tendines tamen illos anterius ſufficientes non eſſe advertit, cedere promtos, ideoque os interpoſuit patellæ, & ſupra id tranſire tendines firmiter ipſi annexos voluit. Neq; tamen patellæ os, ut rude operculum apponi, ſed certa figura præditum, articulari utrique oſſi volvit ut ita firmaretur articulus, nec tamen motui quicquam decederet, imo motus per illam novam articulationem promoveretur magis. Cujus equidem facilioris motus cauſa lævibis cartilaginibus, & oſſa modo dicta, & patel-*

la interiore ſui parte, incruſtantur, & perpetua humiditate lubricantur: ad cujus effluxum aliquid præſtare patella quoq; juxta Hipp. l. de loc. in hom. poteſt, & ſimul cavitatem illam tegere, quæ ex articulationum cavitate oritur. Aut vero omnia me fallunt, aut ſummo jure cum Pſalmiſta nunc exclamandum: (*Quare*) *confitebor Tibi, quia mirabilibus modis mirabilis factus ſum* (*a Te*) *mirabilia ſunt facta tua; quod anima mea agnoſcit probe!* Pſ. 139. v. 14.

USUS.

Erit autem reſultans hinc Virtus, ut paucis me expediam, conſtans.

FIDUCIA IN DEUM: eaque in adverſis potiſſimuum excolenda. Cum enim de infinita Dei Sapientia, & Providentia, quæ in bonum omnia vertere novit, plane ſic conſtet, quid æquius, quam, ubi in graviora mala & calamitates, in extricabiles nobis viſas interdum incidimus, ſapienti adeo Directioni nos totos committere? Et ſane ſi Gubernatori ad amuſſim ſedenti, & incongrua ſæpe præcipienti, ad nutum obtemperat epibata; ſi ægrotus potiunculam a Medico, de cujus peritia & fide certus eſt, propinatam amaram licet & guſtu ingratam, intrepidus haurit, id quod ex hiſtoria Q. Curtii de

A-

Alexandro M. & Philippo Medico egregie elucet: quid rectius, quam, ubi humani auxilii nulla amplius veſtigia apparent, ſperare Divinum ſupremique Gubernatoris ſapienti Providentiæ ſe totum mancipare? Noverat inter alios hoc egregius ille elapſi Seculi & Medicus, & Polyhiſtor Auguſtanus, G. H. Velſchius. Is enim, teſte ipſius Gentili Spizelio in Lit. ſui infel. commonef. 33. inter graviſſimas morborum corpus penitus abſumentium calamitates conſtantis in Deum fiduciæ laudem retinuit, & curſu vitæ ſic finito non tam mortalitatem finiit, quam beatam æternitatem, quam quidem laudatus Spizelius perſeveranti peculiari epiſtola prædixerat, dudum feliciter inchoavit. Nec parvum hic commereri locum Andream Veſalium, primùm illum rei Anatomicæ prorſus fere collapſæ Inſtauratorem, quæ memoriæ de Eo prodita ſunt, commonſtrant. Erat hic Veſalius, ut Hiſtoria Medica vel leviter imbutis conſtat, & ingenio pene Divino natus, & ſtudio Anatomico puer jam addictus. Factum hinc, ut ob ſecandi peritiam non ſolum publico ſtipendio in Academia Patavina primus Is, & quidem 23 circiter annorum juvenis, aleretur, ſed & edito mox de Fabrica corporis humani Opere totum Eruditorum Orbem in ſtuporem raperet; in aulam quoque Caroli V. Imperatoris paulo poſt evocatus, ibique Archiater conſtitutus. Verum, ut

maximæ cuique fortunæ minime eſt credendum, ſic & Veſalius eandem adverſam mox eſt expertus. Malevolorum enim, quos in aula habebat, conatibus adactus Hieroſolymam commigravit; ex quo itinere redux in Zacyntho Inſula ſub arbore peſtilentia miſere obiit, ubi tamen forte fortuna a Batavo quodam aurifabro agnitus ſepultus fuit. Nec intempeſtivum fortaſſis, ſaltem Lectori Benevolo haud adverſum erit, προσωποποιΐαν ex Ode 28. l. 1. Carmin. Horatii in Cl. Viri memoriam mihi quondam natam, hic inſerere; eſt autem talis:

Me primum demum Microcosmi rite recluſi
Sectorem cohibent, Viator,
Arboris exiguæ prope littus parva Zacynthi
Tegmina: nec quicquam mihi prodeſt
Cæſareas luſtraſſe domos, calamoque rotundum
Percurriſſe polum, morituro.
Occidit & Medica præſtans Epidaurius arte,
Vulnera deligansque Machaon:
Artis & arcanis Cous præclarus, habetque
Sors necis Herophilum quoque dudum
Extinctum, quamvis ſtudio, & conamine magno
Corpora ſcrutatus, Medico orbi
Nervorum hic ortum, verum monſtrârit & uſum:
Judice me, non ſordidus autor

Na-

Naturæ verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.
Dant alios clades torvo ſpectacula Marti:
Exitio eſt avidis mare nautis.
Miſta ſenum, ac juvenum denſantur funera: nullum
Sæva caput lex ultima fugit.
Me quoque dejectum rapidis ad littora ventis
Dura luis vis obruit atræ.
At tu Belga vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus, & capiti inhumato
Particulam dare. Sic quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Heſperiis, Venuſinæ
Plectentur ſylvæ, me ſoſpite: multaque merces
Unde poteſt, mihi defluet æquo
Numine, cœleſtisque Domus cuſtode ſupremo.
Negligis officii genus hocce
Corporis exuviis imum perſolvere? forſan
Hæc mihi jura negas tibi damno.
Mens ſociata Deo eſt, precibus non licta, beatum
Meque dedere piacula CHRISTI.
Quanquam feſtinas (non eſt mora longa) licebit
Injecto ter pulvere curras.

Scili-

Scilicet, ut ad rem redeam, tantum abfuit, ut inter graviſſimas has calamitates a Deo Vir fortiſſimus defecerit, ut teſte Joh. Argenterio in Epiſtola operibus Ejusdem præmiſſa infractam ſemper inter adverſa hæc ſervaverit mentem & ſtupenda prorſus æquanimitatis, & fiduciæ ſuæ ad ultimum usque halitum documenta dederit; unde & vere felicium Literatorum numero eundem adſcribere Spizelius loc. ſuperius citato neutiquam dubitavit. Placet Thema hoc, & ſimul partem hanc primam obſignare eleganti loco, quem habet Joh. Bona in Manuduct. ſua ad Cœlum c. 21. §. 2. *Cum*, inquit ille, *certiſſimum ſit, Dei providentia omnia diſponi, & gubernari, adeo, ut nec paſſer de cœlo, nec folium ex arbore cadat absque ejus nutu, & voluntate; ipſi te totum trade excelſo animo, & ingenti fiducia, nihil dubitans, quin opportunum ad res omnes auxilium ſis habiturus. Scito, omnia humana conſilia, atque præſidia fallacia, & incerta eſſe, teque regi, & agi absque ulla anxietate à Deo ſinas. Et ſi res accidant inopinatæ, quibus actionum tuarum, & conſiliorum tota ſeries turbari, & præcidi videatur, vel morbis, vel falſis criminationibus, aliisque caſibus gravioribus, ne deſpondeas animum, ſed ſpe Divina munitus Ejus te regimini ſubjice: nam per hos caſus, per*

hæc

hæc diſcrimina ad illum finem te Divina Sapientia perducit, quem tibi ab æterno deſtinavit. Non ſentit malum præſens, qui futura ſperat bona. Tantum poteſt homo, tantum habet, quantum ſperat & credit.

PARS SECUNDA PATHOLOGICA.

RESpicit Hæc Partem Medicinæ *Pathologicam*, quæ ſtatum corporis humani morbolum, ejusque cauſas proponit, & *Semeioticam*, quæ morborum ſigna, eaque vel Diagnoſtica, quæ ſtatum morbi præſentem, vel Prognoſtica, quæ futurum indicant, explicat. Variæ ex utroque hoc fonte poſſent deduci Theſes. Nos potiſſimas tantum, easque ſcopo noſtro inprimis accommodatas, ſeligemus; id, quod fiet ſequentibus.

THESIS I.

Ex quo peccatum in hunc mundnm venit, Morborum varie corpus humanum affligentium plena ſunt omnia.

PROBATIO.

VIdimus ex ſuperioribus mirabilem humani corporis ſtructuram, ſimul & perfectam. Retinuiſſet etiam talem, ſi in ſtatu integritatis manſiſſet, homo. Verum primorum pa-

parentum in omnes deinde eorundem poſteros propagato lapſu eheu! factum, ut natura hominis tam egregia immutata nulla jam corporis pars, imo particula exiſtat, quæ multis, iisque divertiſſimis morbis non ſit obnoxia. Reſultat enim hinc triplex ſtatim illud, & paſſim nunc in Arte noſtra receptum morborum genus; dum alii habentur partium ſolidarum, alii humorum, alii ſpirituum. Ubi quidem, quod primam claſſem attinet, in varias eandem iterum ſpecies Pathologi diſpeſcunt. Agnoſcunt enim ſic Morbos non ſolum Temperiei, ſed & Organicos; hosque iterum ratione conformationis, magnitudinis, numeri, ſitus, continuitatis, & diſcontinuitatis, diverſos. Humorum porro vitia, & hinc pullulantes morbos quis enumeret? extra dubium quippe eſt, corporis noſtri humores non uno modo degenerare, ſed modo quantitate, modo qualitate, modo ſitu vitioſo & motu, modo ſubſtantia denique peccare, & a ſtatu naturali deflectere. Quanta autem hinc non malorum lerna? quanta non ſolum particularium, Capitis ſc. Thoracis, Abdominis, horumque contentorum, Partium generationi in utroque ſexu inſervientium, Articulorum, &c. ſed & univerſalium morborum cohors? Generantur enim ſic in corporis noſtri Officina & flatus, variosque in Microcosmo hoc tumultus excitant: generantur Vermes, &

vivi

vivi & mortui vitæ ſanitatique inſidiantes: generantur quoque Lapides, ſed non ad exſtruendum, ſed deſtruendum ædificium comparati. Febres quoque ſic (ut multa alia ſicco pede præteream) easque diverſiſſimas naſci videmus: dum alias habemus intermittentes, alias continuas; hasque iterum vel κατ' ἐξοχὴν ſic dictas, vel continentes periodicas; porro vel lentas, vel acutas; & tandem vel benignas, vel malignas. Sed neque malignarum eadem eſt ratio: cum quædam cum excretione cutanea ſint conjunctæ, Variolæ v. 9. Morbilli, Febres purpuratæ, Petechiales, imo peſtilentes quoque multæ vero tales per cutem eruptiones non monſtrent, & nihilominus periculoſiſſimæ exiſtant. Quin, quod verſipellis ille, multorumque adeo, variorumque ſymptomatum Autor, & Auctor Scorbutus, quique primo loco nominandus fuiſſet, inter cæteros familiam quaſi hîc ducat! qui (ut in curioſi Lectoris gratiam hæc addam) quomodo, & quibus ex cauſis ante centum jam annos hoc præſertim in loco morbus fuerit Endemius, ex ſcriptis paſſim Gregorii Horſtii, Archiatri Ulmenſis, & qui laudatum in præfat. Jacobum Horſtium & Patruum & Præceptorem habuit, annoque 1607. hic Solquellæ Medicinam exercuit, ſpeciatim vero ex Append. Ejus ad Obſ. Med. poſter. l. 2. part. 2. & quidem Sect. hujus 1. §. 14. de Scorbuto, liquet. Et

quan-

quantus non, quæſo, eorum quoque Affectuum numerus, qui ſpiritus imprimis lædunt? motum eorum vel ſufflaminando, ut fit in Tremore, Paralyſi, Catalepſi, Hemiplegia, Apoplexia, Lethargo: vel extra ordinem eum adigendo, ut fit in Vertigine, Epilepſia, morbisque reliquis convulſivis: vel alia ratione eundem turbando, unde Deliria, variasque horum ſpecies provenire, obſerves. Imo creſcit morborum ſoboles! *Ex quo* enim (utor verbis immortalis Conringii) *in gulæ libidinem omnia melle, ſacharo, omnique aromatum genere condiuntur, imo illa ipſa condimenta plurimis pro cibo ſunt, ex quo usque adeo diſceſſere mores a leniter dulcibus, cujusmodi ſunt lacticinia, & carnes, ut nihil pene placeat, niſi quod urat, & vellicet palatum*, quid mirum, ſuccum nativum mirifice hinc immutatum, & variis morbis, quales antea non fuerunt, anſam datam? Ne enim de Lue Venerea, anno demum poſt natum Chriſtum 1493. ut plerique volunt, in Europa nata, de Rhachitide, morbo illo in Anglia frequenti, nunc vero inter Germanos quoque non adeo forte ignato, deque aliis multa verba faciam; quid familiarius, quam audire hodiernorum Practicorum querelas? novam indolem, novumque typum aſſumere morbos: peculiarem ſubeſſe malignitatem, ordinariis medicamentis non expugnabilem: animadverti in indagandis affectibus, quæ nec dici, nec ſcribi

ſuis, iisque non tantum proximis, ſed & remotis; non tantum externis, ſed & internis, non tantum procatarcticis, ſed & antecedentibus cognitio, nemo Artis principiis vel leviter imbutus ambiget; cum teſte Experientia, hujusque fido Interprete Hippocrate ſatis certum ſit, illum demum ſalutares poſſe afferre medelas qui morborum cauſas undique cognitas habet. Et ſane.

Felix, qui potuit morborum noſcere cauſas!

Sed quo felicior, eo operoſior! Id, quod ſatis patebit, ſi conſideraverimus, non ab una, ſed a plurimis, iisdemque diverſiſſimis cauſis unum, eundemque morbum ſæpe originem trahere. Multorum inſtar Vomitus ſit: qui ſane, quo cognitu eſt apertior, eo Pathologice ſpectatus evadit difficilior. Neque enim ſolius ſtomachi vel læſi vel irrigantem cauſam foventis vitio hunc provenire, quis dixerit; ſed eundem modo a vermibus in Inteſtinis genitis, modo a calculo in uteribus hærente, modo a convulſivi quid patiente utero, modo à vulneribus Cerebri, modo a valida tuſſi Pectoris culpa inducta, modo ab irritato Oeſophago, modo deniq; ab acrioribus, peregrinisque humoribus ex toto in Ventriculum confluentibus generari, obſervationes teſtantur. Evidens quoque morbus Obſtructio alvi eſt: ſed, quæ pariter non unam agnoſcit cauſam; ſiquidem hæc ſæpius quidem contentorum Inteſtinalium vitio, iisque vel ſiccioribus,

bus, vel viſcidioribus, vel acrimonia acida peccantibus contingit, frequenter autem ipſorum Inteſtinorum culpa generatur, utpote quæ ſive flatibus nimium diſtenta, ſive ſpirituum animalium convenienti influxu deſtituta, ſive abdominis quoque muſculorum læſione impedita, propellenda debitè non propellunt Quemadmodum vero alvi, ſic & Urinæ excretio variis modis ſufflaminatur: obſervant quippe Practici, non Veſicam ſolum urinariam, eamq; vel paralyſi affectam, vel alia ratione ad ſui contractionem ineptam redditam, non veſicæ ſolum orificii, vel Urethræ vitia, non Ureteres ſolum, eosque vel grumoſo ſanguine, vel calculo obſeſſos, non ipſos denique ſolum Renes vel obſtructos, vel compreſſos, vel conſtrictos, vel internam canaliculorum coaleſcentiam paſſos hoc malum efficere, ſed in certa Sanguinis dyscraſia ſecernendum ſerum arctius retinente unicam ſæpius ejus quærendam eſſe cauſam; ne dicam, ſerum quoque excrementicium in alias cavitates depoſitum, ut in hydrope fit, hocque tum Symptoma creans ſatis docere, a viis urinariis Iſchuriæ originem deducendam ſemper non eſſe. Patebit utique his, varietatem cauſarum morbificarum ipſam Pathologiam reddere difficilem. Sed augetur hæc difficultas ipſa cauſarum morbos parientium indole, & mirifica interdum qualitate. Ad Epilepſiam provoco;

lent, rebus ſi non noxiis, alienis ſaltem & ad uſum Artis non pertinentibus ætatem transigunt! Utinam conſiderarent hoc & Chirurgi noſtri, & Pharmacopœi, qui, cum miniſtri Medicorum eſſe debeant, in morbis externis manu præſertim curandis & præparandis medicamentis occupati, ipſi Medici eſſe volunt, & intempeſtivis ſuis emeticis, purgantibus, ſudoriferis, aliisque a veræ demum Pathologiæ inſtructo præſcribendis & propinandis in Charonitis cymbam multos præcipitant! Et quam bene ſibi conſulerent, ſi cautius hîc incederent, qui, dum animarum medelam, onus ſane jam Ætna gravius, ſibi commiſſum norunt, inverſo ordine ad medicinam corporis propendent, & neſcio quo Chriſtianæ charitatis peplo involuti nocentiſſimo Polypragmoſynes vitio vitam ſuam commaculant? Scilicet non deſtituuntur hi, & qui hujus ſunt generis, variis excuſationum blandimentis: dum præter dictum Chriſtianæ charitatis pallium alii artis peritiam, alii neceſſitatem, eamque tum ægrotantes, tum ſemetipſos ſpectantem, alii medicamentorum innocuorum tantum uſum, alii alia obtendunt. Verum, ne dicam, integris dudum tractatibus hæc ab Artis noſtræ Coryphæis ſolide fuiſſe exploſa, teſte Roſino Lentilio, in Miſc. Med. Pract. part. 1. pag. 615. ubi & in toto ibidem Scholio argumentum hoc pertractat; videant tandem, qua conſcientia coram

ram Deo, cui aliquando de geſto proprio munere reddenda erit ratio, hæc defendant? Alieniſſimi ſaltem a perverſo hoc alienis ſeſe immiſcendi pruritu tum omnes, quibus ſalus ſuæ curæ eſt, tum inprimis fideles in Chriſti vinea erunt operarii: & hi quidem, dum ab evellendis, impetendis, oppugnandis variis & indies magis luxuriantibus Eccleſiæ morbis temporis ſibi nihil reliquum vident, rebus ad ſe non pertinentibus lubentes ſnperſedebunt. Quin & Medicus, qui tanta morborum corpori inſidiantium caterva ſe cinctum perſpicit, nihil aget, atque molietur, niſi quod explendo ſuo officio arduo non minus, quam diffuſo idoneum judicat; Symbolo quaſi utens hoc Epiphonemate:

Disce, quod arte tenes, mandato munere fungi,
Et fuge, ceu peſtem, τὴν πολυπραγμοσύνην!

THESIS II.

Scrutinium cauſarum morbificarum ſæpe eſt difficillimum.

PROBATIO.

QUam neceſſaria ſit morborum ex cauſis ſuis

poſſint. Quis autem expanſum hinc morborum ſegetem, & aſſerti ſic noſtri veritatem non videt? ut adeoque, quod Poeta noſtri temporis de Doloribus olim canebat, de morbis certe generatim ſumptis quoque veriſſimum ſit:

Vix poterunt centum linguæ numerare dolores,
Qui cruciant variis corpora noſtra modis.
Hunc torquent dentes, illum nodoſa Podagra,
Eſt alius, clamat qui: miſerere mei.
Occupat extremum ſcabies; numerare dolores
Qui cupit innumeros, eſt dolor ipſe ſibi.

USUS.

Conſiſtet hic in eo, ut medicus declinato peſtifero illo πολυπραγμοσύνης vitio

DEMANDATI INTRA OFFICII LIMITES SE CONTINEAT! Habet nimirum vel hoc ſolum nomine, quod agat, Medicus, qui non cum una vel altera lue, ſed cum numeroſiſſima morborum cohorte ſibi dimicandum videt; haud aliter, atque Dux bellicus, cum hoſte conflicturus, inque id omni cogitatione & cura incumbens, ut rerum prudenter geſtarum gloriam reportet, onus ſibi jam ſat grave impoſitum ſentit.

Nun-

Nunquam talis Medicus memoria ſibi excidere patietur illud Syracidis, quando deteſtandum rebus alienis ſe immiſcendi crimen diſſuaſurus c. 3. v. 20. & ſeq. graphice ita loquitur: *difficiliora te ne quære, & fortiora te ne inquire. Quæ ordinata ſunt tibi, illa cogita, non enim tibi eſt neceſſitas occultorum. In abundantibus operum tuorum ne curioſe labora: plura enim intelligentia hominum demonſtrata ſunt tibi. Multos enim ſeduxit præſumptio ipſorum, & cogitatio mala labefactavit mentes eorum.* Audiet talis Paulum Apoſtolum, cujus 1. Corinth. 7. v. 17. 20. & 24. hæc ſunt verba: *Sicut unumquemque vocavit Dominus, ſic ambulato. Quilibet in vocatione in qua vocatus eſt, fratres, in eo maneto apud Deum.* Audiet Petrum denique, qui 1. Ep. c. 4. v. 15. *neminêm vult pati, ut homicidam, aut furem, aut maleficum, aut NB. aliena curantem.* Dederunt quippe, credo, quidam graviſſimas quidem, at juſtiſſimas hujus delicti pœnas. Quid enim Johannem Jeſſenium a Jeſſen, celebrem illum ſuperioris ſecuti & Medicum, & Collegii Pragenſis Profeſſorem peſſundavit? quod Johannem Funccium, clariſſimum illum ſuæ ætatis Chronologum; quid Thomam Münzerum, aliosque perdidit, niſi deteſtanda hæc rebus ſibi non commiſſis ſe ingerendi inſania? Utinam conſiderarent hoc illi Medici, qui, dum corporis humani, at quantam curam! humeris ſuis impoſitam vi-

morbum uti truculentiſſimum certe, ſic ratione cauſæ adeo abditum ut feliciſſimus ille alias trium Imperatorum Medicus Johannes Crato dudum exclamando optarit: *utinam ante vitæ meæ terminum diagnoſin hujus morbi, atque verum remedium quis oſtendat!* Ut ut enim de foco illius, qui non ſolum in infantili, ſed & adulta ætate interdum Ventriculus, interdum Uterus, ſæpius ipſe ſanguis audit, ſic ſatis conſtet; qualis tamen ipſius cauſæ in corpore genitæ, Cerebrumque, & totum nervoſum genus ſic vellicantis, inordinatosque tales partium motus efficientis ſit conditio, qualis proprietas, nondum patet. Neque acidum hic accuſaſſe ſufficiet; cum acida non uniusmodi, ſed diverſiſſima eſſe, & hinc diverſa quoque remedia expoſcere, Practicis ſit cognitiſſimum. Ut proinde non adeo mirum videri debeat, non ſolum tot infantibus, & pueris (quorum alias ob malum non tam Idiopathicum, quam Sympathicum, cauſasque alias leviores plurimi curantur) hunc morbum funeſtum, ſed in adultis ſæpiſſime eſſe inſuperabilem, & contra illum ſpecifica, quorum in nullo forte alio morbo major numerus, optato effectu deſtitui: neque enim talia in fomitem morboſum nondum plene cognitum quadrare exacte poterunt. Quin, quod adeo abditæ interdum ſint, & maneant morborum cauſæ, ut nonnis; poſt mortem ægrotantes, idque inſtituta tum ac-

cu-

curata Sectione, pateant! Videmus id in Apoplexiâ; cujus immediatam utut cauſam in denegato ex Cerebro in partes ſubjectas, Spirituum animalium influxu facile quivis ponat, mediatæ tamen cauſæ ita ſunt diverſæ; ut vel hoc ſolo nomine graviſſimus morbus audiat. Notum ſiquidem ex Pathologicis eſt, ſæpius quidem humorem, vel ſeroſum, pituitoſum, imo ſanguinem vel extravaſatum, vel in ipſis adhuc vaſis hærentem anguſtos Cerebri tubul[illegible] vel comprimendo, vel opplendo totalem h[illegible] ſpirituum animalium Eclipſin producere; non raro vero peculiares hujus affectus ſubeſſe cauſas, easque ſola demum Anatome inveſtigandas. Sic Apoplexiam occaſione Polypi Cordis genitam, deſcribit Nicolaus Tulpius O. Med. l. 1. c. 27. Et quot non Abſceſſus, & Apoſtemata, ſive ipſam Cerebri ſubſtantiam, ſive Meninges occupantia, inter mediatas Apoplexiæ cauſas Practici deprehendunt? Quot non Cranii fracturas, aliasque læſiones a cauſis externis inductas Cadaverum hic Sectiones monſtrant? Sic ſectioni juvenis cujusdam ruſtici me interfuiſſe, memini, qui a luxata ab ictu ſecunda colli vertebra, quæ communiter dens, Græcis Epiſtrophus dicitur, attonitus conciderat. Sed & Hydrops morbus pariter non curatu minus, quam Pathologice cognitu difficillimus Theſis noſtræ veritatem comprobabit. Quamvis enim cum Di-

neceſſatio hoc adminiculo ſe privaret? Novit is, *omnem donationem bonam, & omne donum perfectum deſuper eſſe, deſcendens a Patre luminum*, Jac. I. v. 17. Novit is ex eodem c. v. 5. *ſi quis indiget ſapientia, eam petendam a Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, & non exprobat.* Id quod probe agnoſcens Leonhardus Botallus, Caroli IX. Galliæ Regis Archiater, cum nullam curam ita ſibi cecidiſſe gloriatus eſſet, ut aut imprudentiæ, aut admiſſæ temeritatis incuſari jure, ſaltem cum conſcientiæ quadam labe potuerit, optime hæc verba addit: *quod profecto non noſtræ prudentiæ, ſed Benignitati Divinæ referendum eſſe, ingenue fateor;* ceu hæc legi poſſunt lib. Ejus de Cur. per ſangu. miſſ. c. 37. §. 6. Quemadmodum & huc pertinet elegans illa de Chriſtophoro Ruhmbaum, Medico Vratislavienſi hiſtoria, cui de Morbi intricati, ſibique traditi eventu admodum ſolicito per ſomnium cura ejusdem ex libro detecta, convaleſcente non ſolum feliciter ſic ægrotante, ſed & libro aliquot annorum decurſu typis prodeunte, in quo tradita per ſomnium morbi ſuperati cura eadem plane pagina, imo eodem latere, quibus ſomnians morbi medelam legerat, deſcripta; indicio ſatis manifeſto, non otioſum eſſe Divinum Numen in Artis noſtræ operibus, ſed influxu ſuo gratioſo ad ægrotantium ſalutem concurrere. Exoranda autem a Deo hæc eſt Benignitas! Imo aſſiduis

preci-

precibus a ſupremo humanæ ſanitatis Architecto obtinenda. Cujus quidem ne exempla deeſſent, dudum effecit *Precationibus* ſuis *Medicorum piis* laudatus jam Jacobus Horſtius, qui quantopere orandi artem & ſibi, & aliis calluerit, ipſis libelli titulis ſatis declaravit. Reperias einim ibi non *Tyronum* ſaltem *pro ſapientiæ donis, & incrementis*, ſed & *Artificum, Profeſſorum, & Autorum* in eundem finem directas precandi formulas. Reperias porro *Medicorum in genere* precationes *pro Pietatis dono; pro Prudentia in curandis Primatibus, Principibus, omnibus, piis, malis, ægris, ad curam non admittendis: pro fortitudine contra calumniatores, inferendis periculis, contra largitiones; pro Temperantia in cibo, & potu; pro dono Caſtitatis; pro frugalitate, pro Taciturnitate, pro dono Humilitatis*. Reperias *Medicorum in opere Artis* orandi formulas, *easque vel communes, vel proprias; hasque iterum Tyronum, ſeu Practicorum juniorum, Senum, Practicorum & Profeſſorum, Practicorum & Autorum, Promoventium, Promovendorum, & Theoricorum*. Reperias alias iterum *vel communes in morbis lenioribus, gravioribus, periculoſis, lethalibus; vel proprias in Apoplexia, & Epilepſia, Phrenitide, & Melancholia, peſte &c. alias pro differentia temporum, matutinas, meridianas, veſpertinas; in introitu ad ægrum, in medicamentorum ipſorum uſu, in diceſſu ab ægro convaleſcente, dubiæ ſpei, morituro: alias denique,*

ea

creatici craſſitie, & nata hinc utriusque ductu
obſtructione, viſcidiorique tandem ſic ſan-
guine, ejusque ſeroſo latice reddito to-
tam malorum lernam originem traxiſſe. Se
& acidum fuiſſe dictorum humorum vinculum
inſtitutum deinde experimentum probabile
faciebat, quo addita deſcriptæ modo bili Aqua
fortis nullum plane motum, ſed adjectum ſal
volatile C. C. magnam ſtatim effervescentiam
excitabat. Cæterum Veſica urinaria parva ad
modum erat: pelvis multo ſero repleta: ſero-
tum ipſum prægrandi Hydrocele turmidum
Thoracis cavitas præter pulmones hinc illinc
pleuræ adnatos magnam aquæ copiam mon-
ſtrans veram Aſthmatis cauſam exhibebat. Quin
nec Pericardium p. n. ſeri quantitate liberum
quod Cor alias valde magnum, & auriculam
dextram ſiniſtra majorem habens involvebat. Ei
quid de Sterilitate tandem dicam muliebri
morbo illo ſatis quidem interdum invidenti, ſed
cujus vera cauſa in vitio ſæpe Organico latet,
ſectione demum in apricum producenda. Et
ſic non ſolum Uteri, ſed & Ovariorum, Tuba-
rumque Fallopianarum culpa ſterilitatem indu-
ctam, conſtat. Quemadmodum, cum Lugdu-
ni Batavorum degerem, duo talia vitia ab Excel-
lentiſſimo Nückio demonſtrata; memini, quo-
rum unum in ſex circiter flexibus Virgunculæ
bam deformantibus conſpiciendum dabatur

al-

lterum parvis conſtabat lapillis, qui in ſterili
œmina reperti circa extremitates ornamento-
um foliaciorum ſeſe circumpoſuerant, debitam
pſius Tubæ ad excipiendum ovulum applica-
ionem impedientes. Scilicet, ut verbis doctiſ-
imi Heurnii, quæ habet Comment. in Aph. 1.
Hippocr. hanc Theſin finiam; *ardua eſt naturæ
noſtræ contemplatio, ac corporis Oeconomia labo-
rioſe cognoſcitur. Quin cauſæ morbificæ diſtin-
guuntur non facile, adeo, ut Medicina nihil ſit
prolixius, nihil arduum magis! Nam hæc jam di-
ctu vel uſu, vel judicio noſcuntur: hoc difficile eſt,
& longi temporis: ille periculi plenus.*

USUS.

Commendata juxta hanc Conſide- rationem Virtus erit

PRECATIO; ad eum ſubinde dirigenda, ſine cujus Numine nihil eſſe in homine, vere non minus, quam pie dictiur. Etenim

Nullius eſt felix conatus, & utilis unquam,
Conſilium ſi non detque, juvetque DEUS.

Qui igitur Medicus Chriſtianus, qui tot ſe difficultatibus in indagandis, feliciterque ſic abigendis morborum cauſis implicitum videt, maxime ne-

vino Sene nihil aliud eum eſſe, quam collectionem ſeri extravaſati, rectiſſime dixeris; ubi tamen de vera ipſius origine judicandum, hoc opus ſæpe, hic labor eſt. Neq; enim ab uno illum fonte promanare, ſed modò a male tractatis febribus intermittentibus, modo ab aſthmate, & aliis pectoris affectibus, modo hepatis, lienis, meſenterii, renum, uteri vitio, & hinc inductis Cachexiis, modo a nimio alvi fluore, aliarumque excretionum exceſſu, modo à potionum abuſu & nata hinc vel liquatione, vel copia, vel viſciditate p. n. eundem provenire, Practici obſervant. Videas hinc, non unam quoque eſſe Hydropis ſpeciem; ſed aliam occupare abdomen, ut fit in Aſcite, & Tympanitide, aliam ſerotum, ut Hydrocelen, aliam pectus, aliam caput, infeſtare, ut Hydrocephalum, aliam denique totum mundare Microcosmum, quemadmodum in Leucophlegmatia, & Anaſarca id deprehenditur. Mira hic ſæpius deteget Anatome; ceu in ſectione mercenarii cujusdam a B. Friderico Schradero, Præceptore olim chariſſimo, Helmſtadii inſtituta me obſervaſſe recordor: cujus proinde hiſtoriam, cum plurimas Hydropis ſpecies, earumque ſcaturiginem ea contineat, hic inſerere, non intempeſtivum erit. Fuerat is 40 circiter annorum, & per tempus Aſthmathe in hydropem tandem faceſſente laboraverat. Pedes œdematoſi erant, & præmentibus digitis foveo-

foveolam acquirebant, ſenſim demum priſtina cutis extenſione revertente. Ablata cute, & pinguedine cum in Abdominis muſculos culter Anatomicus adigeretur, aliqua jam ſeri quantitas effluebat, quæ tum in intercutanea, tum muſculoſa interſtitia ſeſe inſinuaverat, & Anaſarcam mortuum habuiſſe, ſic oſtendebat. Hoc facto Peritonæum quoque, quod craſſum admodum erat, cultri acies penetrabat; nec mora immenſa ſeri copia prorumpebat, inter proſiliendum aquam quidem limpidiſſimam referens, vitro autem excepta od conjunctam ſpiſſitudinem colorem oſtendens obſcuriorem; ut adeoque, Aſcite quoque defunctum laboraſſe, pateret. Ad Viſcera hinc Abdominis deventum, ubi primo Hepar ſublivido ſuo colore a ſtatu naturali receſſiſſe ſtatim cernebatur;, cui autem ſubnexus folliculus fellis plane niger erat, ut vel exterior ſic facies magnam humoris contenti corruptionem præſagiret, quam etiam deprehendimus ipſo felliculo diſſecto, qui bilem atramento ſimillimam, & craſſitie ſua ad motum plane ineptam includebat. Pancreas porro nigrum pariter, & tactu duriſſimum erat; cujus etiam ſuccum ad Inteſtina non amplius deſcendiſſe, ſatis arguebat concreſcentia dura & pellucida circa ipſum ductus Pancreatici in Duodenum inſertionis locum obſervabilis. Neque etiam ſi dubium erat, a p. n. bilis, ſuccique Pan-

crea-

easque communes iterum pro ſalute rei Medicæ publica, contra abuſum Medicinæ, & calumniatores Verbi Dei recitandas. Quapropter nec immerito laudati ab hoc quoque orationis cultu Johannis Cratonis Exemplo Horſtianum hoc non ſolum addi, ſed & omnibus Medicis Chriſtianis multum commendari voluit. Georgius Richterus, in Partit. Digeſtis ipſius Pietatis, quæ vocat, præmiſſa. Quale proinde ut ſinguli Artis Filii ad promovendum aliorum, propriumque emolumentum alacriter ſectentur, etiam atque etiam precamur. Jungenda autem his precibus eſt

SEDVLITAS! pulcherrima, & fideliſſima Virtus, qua poſthabitis rebus alienis (de quibus ſupra actum) ad normam mandatorum Dei diligenter proprios vocationisque noſtræ neceſſarios labores perficimus. Inculcat ſane hanc paſſim divinus Ordo; ceu videre eſt Geneſ. 3. v. 19. Ecclesiaſt. 6. v. 7. Syracid. 7. v. 16. Ep. ad Epheſ. 4. v. 28. 2. Theſſal. 3. v. 12. & alibi. Nec Medicus rei neceſſitate convictus illam negliget. Non uno autem modo eandem præſtabit; ſed In Academiis conſtitutus veræ Pathologiæ fundamenta omni cura, & induſtria ponet, & ſic non Grammaticam ſolum morborum notitiam, ſed & talem, quæ ad genuinos cauſarum morbificarum fontes ipſum perducat, ſibi comparabit. Praxi deinde ad-

mo-

motus omnia maxima, mediocria, minima, quæ circa morbum haberi poſſunt, perquiret, ægrotantis, quem crebro idcirco, ſi fieri poteſt, viſitabit, non ſolum ſtatum præſentem, ſed & antecedentem inveſtigabit, & ſic nihil eorum intermittet, quibus in veram morbi cauſam atque indolem ſe penetrare poſſe, arbitrabitur; quemadmodum laudabili hanc in rem inſtituto *Tabulam* ſuam *Conſultatoriam*, junioribus inprimis Practicis dicatam, evulgavit laborioſiſſimus lentilius, & encomium ejus, uſum, & deſcriptionem Miſcell. ſuis Med. Pract. part. 1. pag. 279. & part. 2. pag. 335. & ſeq. tradidit. Sed nec Sectiones Cadaverum averſabitur Praxi ſuæ intentus Medicus; quin eas potius quavis occaſione datâ (ut nam autem daretur ſæpius!) Sedulus inſtituet, & lumen ſic ad ſimiles caſus promtius inpoſterum decidendos non ſibi ſolum, ſed & aliis accendet: ne dicam, ad judicium de vulnerum lethalitate ferendum, arduum profecto, & difficillimum opus! Medicum hac ratione ſe reddere exercitatiorem. Et hoc modo celeberrimos omnis ævi Medicos in Virtutis tramite proceſſiſſe, conſtat. Etenim Theoreticam quod Medicinam attinet, mirum, quod de Henrico Smetio, celeberrimo illo Academiæ Heidelbergenſis & Medico & Poeta, hiſtoriæ referunt, eum tantô ardore Lovanii ſtudiis incubuiſſe, ut non ſolum tempore brumæ ad decimam aut undeci-

mam noctis lucubraret, verum etiam dormiturus funem incenderet, quo lapis ei annexus, ſtataque hora in æneam pelvim delapſus, ſonitu eundem ad conſuetos labores revocaret; Ariſtotelem hac in parte, de quo ſimile quid habetur, imitatus. Erat quoque talis Jacobus Bordingus Medicus Hafnienſis Regius, ac Academiæ Profeſſor, de quo annotatum legimus, eum non ad multam lucem ſtertuiſſe, ſed ſummo mane quotidie expergefactum aliquid, quod publicè Auditoribus proponeret, commentatum. Quemadmodum à diligenti naturæ contemplatione plurimum alias laudatus Johannes Kentmannus, Phyſicus Torgenſis; in cujus Minerophylacium, omnis generis foſſilia complectens, ſummaque curâ & methodo concinnatum, elegans hoc Georgii Fabricii Epigramma extat:

Quicquid terra ſinu, venisque recondidit imis
Orbis Theſauros, hæc brevis arca tegit.
Laus magna eſt, tacitas naturæ inquirere vires;
Major in hoc ipſum munere nôſſe DEum.

Nec Practicæ Medicinæ in ſudantium, morborumque ſic cauſas propius & in individuis rimantium Exempla deſunt. Inter primos hîc memorandus iterum venit Sebaldus Havenreuterus, à vero Dei timore nobis commemoratus, qui tantâ induſtriâ Praxin ſuam Clinicam exercuiſſe fertur, ut ſenex jam factus (ad 81 enim æt. annum pervenit) urgente neceſſitate, & vitæ

quodam

quodam periculo imminente, interdiu bis terve, nec raro intempeſta etiam nocte ægrotantes ſuos, etiam non vocatus, inviſèrit; Galeni hoc modo & ſe diſcipulum profeſſus, quem ſæpius die nocteque ad eosdem ægros acceſſiſſe, pernoctaſſe cum illis domum denique ſuam, cum nimirum familiæ & miniſtrorum ipſi ſuſpecta fides eſſet, curandos deducere ſolitum, legimus. Summo jure annumerandus huic ille nomine & omine talis, Felix Platerus, Academiæ non ſolum Baſileenſis Profeſſor, ſed & Diverſorum Imp. Rom. Electorum ſuo tempore Archiater, qui *per univerſæ vitæ curſum non minus Deo fidem, quam hominibus diligentiam, ſummamque induſtriam probavit, tum temporis maximè, cum peſtifera lues per totam Germaniam vehementiſſimè eſſet graſſata*; prædicante ſic de Eo Spizelio Literat. ſui infel. Commoneſ. 33. §. 6. Ceu huc quoque ſpectat Cl. Viri, Danielis Sennerti, de quo eodem loco laudatus Spizelius, & nos Uſu Theſ. 2. part. 1. egimus, memorabile, & paucis æquiparandum Exemplum. Et quid non denique in Chriſtiano Joh. Langio, Theoretico & Practico Lipſienſi Doctiſſimo ſimul & Experientiſſimo, paucis abhinc annis non vidit ætas noſtra? de quo in præfat. Operibus Langianis præmiſſa Excellentiſſimus Rivinus præclare ita: Si *quisquam* inquit, *alius, certe is non minus in Praxi, quam Theoria miros fecit progreſſus, ut incertum*

eſſet, cujus ſtudio magis delectaretur. Sanè ad ægrorum viſitationes tam alacris ſemper deprehenſus fuit, non obſtante corpulentia Ejus, ſeu æſtus ureret, ſeu frigus intolerabile, inter medias nives, grandines, pluviasque, horis nocturnis æquè, ac diurnis, quaſi hoc unicum dulce foret pro patriâ mori, ac perire viribus ita diſſipatis, ſi modo ſpes aliqua ſupereſſet ſervandorum civium. Credideris eum ita defatigatum revertiſſe domum allevamenti gratia; verum ne ſic quidem momentum otii relinquebatur ipſi â diſcipulis horas omnes ſucciſivas anxiè, avideque tanquam ſibi debitas poſcentibus. Verum ut ad finem properem, & ſectionum quoque vel verbo adhuc mentionem faciam, Exempla hic ſuppeditare poterit Theophilus Bonetus; dum in immortali ſuo Sepulcheto Anatomico tum ſuam, tum aliorum in eruendis ex demortuorum cadaveribus morborum cauſis diligentiam Literato Orbi dudum expoſuit.

THESIS III.

Nec ipſorum Morborum Diagnoſis ſemper eſt expedita.

PROBATIO.

QUemadmodum arduam, & multis ſæpe difficultatibus immerſam cauſarum morbi-

morbificarum cognitionem ſupra delineavimus; ſic de Morbis nunc ipſis per ſigna, eaque Diagnoſtica, indagandis erit ſermo. Scire ſcilicet ante omnia debet Medicus, quis ſit morbus? ut, â qua cauſa in hoc vel illo ſubjecto foveatur, porro inveſtigare poſſit. Optandum jam eſſet, morbos omnes ex ſignis ſuis, quæ vocant, Pathognomonicis cognoſci poſſe; ceu v. g. in Pleuritide & tuſſis, & dolor lateris pungitivus, & ſanguinis ſputum, & febris continua morbum hunc plene nobis commonſtrant. Verum enim vero Artem noſtram hac in parte eſſe mancam, & frequenter ſignis talibus nos deſtitui, facile mecum agnoſcet, qui Signorum ipſorum in morbis quibusdam tum paucitatem, obſcuramque nimis conditionem, tum ambiguitatem perpenderit. Pauciſſima, dico, morborum interdum ſigna adſunt; & quæ adſunt, ita ſunt comparata, ut ne ægrotanti quidem ea penitus innoteſcant. In incipiente Febre Hectica id videmus, morbo citra controverſiam, nî cito ſuccurratur, funeſtiſſimo, qui tamen inter initia calore ſaltem, eoque maximam partem æquali, & ægrotanti hinc utplurimum non perceptibili ſeſe exſerit: ut adeoque recens hic affectus cognitu difficillimus, at curatu facillimus, confirmatus vero cognitu facillimus, at curatu difficillimus non immerito Practicis audiat. Et quid Medicinæ Cultoribus quotidiana Experientia

notius, quam in ipſis Febribus malignis idem, contingere? quas proinde non incongrue cum Galeno herbis prima, dum erumpunt, foliola, tenuesque radiculas, & caules ſubtiles exporrigentibus, & hinc à perito demum Botanico agnoſcendis comparaverimus. Plerumque enim (malignorum hominum inſtar) blanda omnia præ ſe ferunt hæ febres, & aliqua tantum laſſitudine, qualem etiam Scorbutici non raro percipiunt, & dolore capitis moleſtæ ſunt; in aliis horrore aliquo initia ſua declarant, qui interdum quidem valde eſt notabilis, utplurimum vero levis, & ſæpe quidem tantum frigoris per dorſum decurrentis ſenſu perceptibilis, ut ægri Medicis niſi accurate interrogati nihil de eo referant aliquando etiam forte non obſervent, aut meminiſſe ejus poſſint. Et ſic de calore etiam judicandum, qui lenis utplurimum inter initia eſſe ſolet, & ſæpius quoque decipit, pulſu tantum nonnihil languido, quemadmodum B. Henricus Meibomius pro ea, qua erat in explicandis morborum hiſtoriis ſolertia, ex re & vero hæc annotat. Quamvis vero non omnium morborum ſigna adeo ſint parca & occulta, ſed multorum ſatis ſint copioſa, ſatis quoque evidentia; multa tamen etiam ſunt communia, nec ab uno principio, imo à diverſiſſimo nonnunquam, deducenda: quorum tum reſpectu ipſa Morborum Diagnoſis difficilior quoque redditur. De

Epi-

Epilepſia, cujus ut cauſa, ſic & Diagnoſis ob eandem hanc rationem cognitu ſæpe intricata eſt, nihil hac vice dicam. Prodeat in ſcenam Renum Calculus; qui ſi nullus affectus alius, cum diverſiſſimis morbis occulta veluti fraude ita ſæpius convenit, ut exercitatiſſimos nonnunquam Practicos per aliquot dies tenuerit ſuſpenſos. Quid enim multiformi huic Proteo, quæſo, familiarius, quam ut modo male affectum Ventriculum, modo Colicas graviſſimas, modo Pathemata uterina ſimulet? Quin, quod conſueta interdum Symptomata, qualia ſunt urinæ difficultas, hujusque arenorum ſedimentum, &c. Hic celet Calculus, & Symptomatibus contra â diverſiſſima cauſa commodius multo deducendis ſeſe exſerat! ſic ut Pleuritidem interdum eundem mentiri, hypochondria tendere, hepatisque attactum reddere dolorificum, Doctiſſimi Solenandri Experientia, quam Conſil. 2. Sect. 4. communicat, conſtet. Ut adeoque, ſi ullibi, hic certe Medicus, quod animo bene volvat & revolvat, antequam de morbi ſpecie aliquid determinet, inveniat! Sic menſium ſuppreſſio, & oriri hinc in ſequiori ſexu ſæpe ſolitus Hydrope ſignis ſatis evidentibus, fœdo nempe faciei colore, anguſtia præcordiorum, reſpiratione difficili, pedum & abdominis tumore, imo in hoc, animadvertente jam Hippocrate, motu gravidis familiari, mammarum protuberantia,

 &c.

&c. ſatis ſeſe produnt; cum tamen hæc eadem ſigna ſint communia, & in iis quoque, quæ utero gerunt, concurrant, dubii pleniſſima hic ſæpe manet Diagnoſis, ſic, ut ne Æſculapius quidem determinet, quid res ſit, vel non ſit? aut enim hydropicæ hic pro gravidis, aut gravidæ pro hydropicis haberi poſſunt, & ſæpiſſime habitæ ſunt. Verum, dum hæc propono, Uromantum jam percipere mihi videor indignationes; utpote qui in ſola urinæ inſpectione non Graviditatis ſolum, ſed & morborum omnium, unicam illam, & certiſſimam Diagnoſin, quærunt. Ubi quidem fateor, tantum abeſſe, ut ſigna ex urinis Prácticis peti ſolita rejiciam, ut potius ſine his multos morbos plane cognoſci non poſſe, contendam; non ignorans quantum in affectibus partium urinæ ſecretioni deſtinatarum, imo quantum in febribus, iisque non ſolum explorandis, ſed & ratione temporum dijudicandis lotii valeat inſpectio? Quominus tamen fluido hoc fundamento totam morborum Diagnoſin ſuperſtruam, ipſa hac, quæ de communibus morborum ſignis ad urinam quoque applicanda in medium attuli, me facere prohibent. Ut enim prolixe nunc non adducam, ſecundum fide dignorum relationem tales interdum urinas, quales in gravidis eſſe volunt, in Viris quoque deprehenſas; nonne albam mingunt & pueri verminantes, & febricitantes,

mor-

morbisque aliis à pituita ortis correpti? nonne rubicundam & in febribus, & extra febres conſtituti? iique tum vel Scorbutici, vel aſſumtis, Rhabarbaro v. g. Vini potu, talem urinæ mutationem ſuſcipientes? nonne nigricantes denique non moribundi ſaltem, ſed & Melancholici, imo & illi, qui Caſſia, vel uvis nimia quantitate uſi? Et quid contra notius, quam in Phrenitide, & ubi vel ſumnium minatur vitæ periculum, urinas profluere ſanorum ſimillimas? Taceo, neque locum affectum (urinam enim v. g. purulentam variarum internarum partium ulcera dimittent) neque virium robur, ad quod tamen altero ſemper oculo in medela aſpiciendum, ex Uromantia deſignari poſſe. Adeo neque ſubſtantia quoque urinæ, neque contenta ipſius infallibilia morborum ſigna ſuppeditant! quemadmodum tot annorum experientia inſignis Thonerus peculiari quadam *Epiſtola*, ordine 12ma, *contra fallacem & mendacem Uromantiam* conſcripta, ſolide id deducit. Fecit ex recentioribus idem Gerardus Goris, qui *Medicinæ* ſuæ *Contemtæ* c. 5. quid urina ſignificare posſit, quid ferre recuſet, eleganter explicat. Sed ſurdis hic ut plurimum narratur fabula! Ut proinde veris Medicis ſæpius repetenda querela, quam modo laudatus Thonerus Epiſt. 5. graphice proponit. Ibi enim, cum primariæ cujusdam fœminæ hiſtoriam recenſuiſſet, ſine rubore narran-

tis, ſe audiviſſe ſæpius, eum Medicum flocci pendendum, ſi offeratur alicujus ruſtici urina ſpectanda, & dijudicanda, ni ex templo non morbi modo genus cognoſcere, ſed & ipſum pagum, ex quo ille oriundus, deprehendere, & judicare valeat, in hæc verba erumpit: *ô ſtupendam ſimplicitatem! ô miſeram ſortem ingenuorum Medicorum, conſimili in loco praxin exercentium, & tam ſiniſtram criſin experientium! Si cujus in pectore vel quinta eſſentia omnium artium & ſcientiarum reſideret, nec ad illas nænias, & fallacias ſe aſſuefaceret, haud magno haberetur in precio, quin leviſſimus, & rudiſſimus Blatero præferretur, vel ipſi Hippocrati & Galeno. Id deplorandum, viæ emendandum, cum prava illa conſuetudo tam profundas egerit radices, ut Salomonis Sapientia viæ ſufficiens ſit ad diſuadendum.* Patebit interim vel ex dictis noſtræ Theſis veritas; quibus abunde nunc conſtabit, ob ſignorum tum paucitatem, & obſcuritatem, tum ambiguitatem morborum Diagnoſin non ſemper eſſe expeditam.

USUS.

Locum hic ſuum tuebitur.

PRUDENTIA, quaſi Providentia dicta, quod per eandem nobis provideamus, quid eligen-

eligendum, fugiendumque; & quomodo actiones noſtras circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, ac rerum applicemus. Virtus, ceu in Scriptura S. paſſim, potisſimum autem Matth. 10. v. 16. Luc. 16. v. 8. Epheſ. 5. v. 15. commendata; Sic & Medico præſertim, cui humani corporis cura incumbit, neceſſaria, & quaſi propria! Quamvis enim adductis Scripturæ locis Chriſtiana potisſimum Prudentia, quæ æternam ſalutem reſpicit, inculcetur; Medicum tamen hic neutiquam excludi, vel inde manifeſtum erit, quod puritatem conſcientiæ, ſine qua ſuprema ſalus obtineri nequit, illa intendat. Quanti enim, quæſô, ſine hac lapſus, quanti non errores committerentur? imo, quomodo non unius ſaltem hominis, ſed & plurium ſæpe ſimul vita periclitaretur? Neque vero ſcopus mihi eſt ſingulas prudentis Medici partes hic excutere; quod ſolide alias Tractat. ſuo de *Officio Medici præſentibus contra indicationibus* fecit Joh. Mauric. Trillerus, &, quod Idioſyncraſias attinet, â nobis in Inaugurali in Academia Julia A. 1696. olim habita, quodammodo expoſitum. Sufficit mihi eam tantum hic tetigiſſe prudentiæ regulam, qua Medicus de manca ſignorum Diagnoſticorum conditione convictus curam interdum morborum vel plane differt, vel, ſi quædam adhibenda, innocuis prorſus tantum inhæret. Curam utique ſæpius ſic differt; idque, ubi morbus

morbus per omnia ſigna nondum ſeſe exſerens inducias permittit. Spectatorem tum aget, motum morbi aſpiciet, nihil immutabit, & verum ſic deprehendet tritum illud, ſed experientiæ innixum.

Abſtine, & efficies quod Medicina nequit. Cum vero non urgentia ſolum ſymptomata, ſed & ægrotantes, vel qui ægrotantium ſpeciem induunt, remedia ſæpe expoſcant, præſcribet quædam, ſed nullo modo noxia, ſed talia, quæ præſcripſiſſe, ſi penitius ſe morbus explicet, non pœniteat. Et ſic ſcopulos, quos cum famæ & conſcientiæ damno alii incurrunt, feliciſſime evitabit. Et reſpexit huc procul dubio ingenioſa Antiquitas, quando inſignibus Æſculapii præter Galerum, nodoſumque baculum, Noctuam, caput Draconis, Canem, Serpentem quoque addidit; ut nimirum hac ratione doceret, præter facultates medicamentorum aſſidua vigilantia addiſcendas, acutam in ſcrutandis morborum cauſis perſpicaciam, ſagax in eruendis eorundem indole, & eventu ingenium, callida quoque prudentia opus eſſe qua ſumma cautela utens Medicus remedia admoveat, & ad contortas indicationes curativas collineet. Nec aliter hic præiviſſe conſcientiæ & famæ ſuæ rationem habentes Medicos, tum ſalutaria eorundem Effata, tum Praxes propriæ demonſtrant. Notum celeberrimi cujusdam Dictum: *Medicum*

non

non minus eſſe, qui remedia ægrotantibus admovere, quam qui utiliter removere novit. Notum quoque Thoneri, Practici citra controverſiam exercitatiſſimi, & felicisſimi Monitum, quando annorum 64. experientia edoctus Obſſuarum l. de febr. interm. p. 73. ita loquitur: *oportet Medicum eſſe catum, & cautum in præſcribendis remediis, prius diligenter perſcrutando cujusque naturam, prout per facultates humanas licet.* Et quis demum (ut ad Exempla properem) egregium illud, & â Timore jam Dei celebratum Medicorum Par, Auguſtinum nempe Schurfium, & Sebaldum Havenreuterum tales extitiſſe, dubitet? Ut enim Is â prudentia ſingulari, quam in negotiis tum publicis, tum privatis ubique exhibuit, extollitur; ita Hunc quoque morbi genus, antequam Medicinam ægris faceret, diligenter inquiſiviſſe, & valentis conſideraſſe conſuetudinem, & corporis naturam cognoviſſe, ſcribitur. Et pertinent huc, quæ in oblatis ſibi, cumque imprægnationis ſuſpicione conjunctis caſibus provide, & cum judicio à ſe facta narrat Roſinus Lentilius, Miſcell. Med. Pract. part. 2. pag. 332. & ſeq. Bene ſcilicet perpenderunt Viri quovis præconio dignisſimi, non de lignis hic aut lapidibus, ſed de humano ludi corio, quod proinde, qua potuerunt, cura & circumſpectione tractarunt, & ſic omnibus ad veræ Medi-

Medicinæ culmen aſpirantibus immortale exemplum reliquerunt.

THESIS IV.

Imo incerta ſæpe Morborum eſt Prognoſis.

PROBATIO.

SI quid eſt, quo magnam ſibi Medicus conciliare poteſt autoritatem, Ars erit prædicendi! in qua cura Artis noſtræ Coryphæus Hippocrates præ aliis excelluerit, Divini inde cognomen, uti notum, reportavit. Aut enim ſanabitur morbus, aut interimet, aut perdurabit, aut in alium degenerabit, Medicus hoc tanquam ê longinquo prævidet, & quod futurum ſic prædicit, id rei eventu comprobat. Optandum jam eſſet Medico, ut, ſi præſertim de ſalute ægrotantis aliquid prædicendum, hic Prognoſtico ſuo nunquam fruſtretur. Verum, cum circa tale verſemur objectum, quod mutationibus nullo ſæpe ſigno innoteſcentibus eſt obnoxium; quid mirum, ſi interdum hic errare & peritis, eruditis, & prudentibus contingat? qui ſane, quod prædicunt, non ut Divinatores, ſed ut Artifices prædicunt. Conſtabit rei veritas in morbis præcipue acutis, quorum adeo ſæpe ambigua Prognoſis, ut non dubitaverit ipſe Divinus

nus Senex peculiari aph. & quidem Sect. 2. 19. hoc conſignare; dum *acutorum morborum non omnino, & ſine dubio interitus aut ſalutis prædictiones eſſe*, ibi affirmat. Patronum addit Joh. Heurnius in Comment. ſuper hunc Aph. *nam non cuncti illi*, inquit, *ſunt bene morati, & eucriti; ſequuntur enim hi efficientis cauſæ naturam, cujus maxima eſt inconſtantia.* Et ſane, ſi ullibi, Experientiam rerum Magiſtram hic ubique conſentientem habemus. Quoties enim non contingit, in febribus v. g. non ſolum malignis, ſed & ardentibus, aliisque, ut, ubi conclamata omnia videntur, proſtratæ ſcilicet ſunt vires, partes principes graviter afflictæ, functiones vitales & animales abjectæ, ac ferme deletæ, ægrotus caput ſuum efferat? Habui Ipſe ſub cura juvenem, cui continua ardenti decumbenti ſuperveniens die morbi is ſopor, ſenſuum externorum, viſus nempe & auditus remiſſio, pulſus mire ſe torquens, inæqualis, & qualis morti vicinorum eſſe ſolet, extrema omnia minabantur, qui tamen feliciter evadebat. Quid teſte Experientia, Ejusque fido iterum Interprete Hippocrate, quem vid. Sect. 6. Aph. 16. in Pleuritide periculoſius, quam ſuperveniens Diarrhœa? fit tamen interdum arcano & imperſcrutabili naturæ motu, ut ejusmodi alvi profluvium, quod exitiale metuerat Medicus ſalutis cauſa evadat; quemadmodum tum aliorum, tum propria ite-

rum

rum Experientia mihi conſtat; qua ſupervenientem in fœmina pleuritica die morbi ſeptimo Diarrhœam & febrem, & reliqua Symptomata ſolviſſe, quondam annotavi. In infantibus, & pueris evidens quoque res eſt; quos graviſſimos ſæpe, periculoſisſimos, & cum nullis ſalutis ſignis conjunctos morbos præter opinionem eluctari videmus: an, quod mollior iis, evacuandæque cauſæ morbificæ aptior corporis habitus contingit? an etiam, quod malis utplurimum eorum ſignis terrentur, bona autem, quæ proloqui ſæpius nequeunt, Medici neſciunt? Id, quod in nuperis quoque noſtris, nulli ætati parentibus, & ab Anno 1705. usque ad ſequentem, per totum autumnum, & hyemem fere graſſantibus Variolis patuit, quæ, quamvis multis præſertim pueris, puellis, & infantibus, & quidem veſtibus jam iterum indutis, & nihil tale metuentibus parentibus fuerint lethales, in aliis ob neglectam artificialem purgationem Leucomata, fœda palati ulcera, Paralyſes artuum &c. induxerint, â nonnullis tamen inter Diarrhœas, artuum tremores, maculis item depreſſis & lividis, feliciter ſuperabantur. Et quid in morbis iterum adultorum, iisque Chronicis, non accidit? quorum eventus licet â Pathologiæ cognitione inſtructo Medico accuratiſſime ſæpius prædici poſſit, interdum tamen latet; adeo, ut ad τὸ Θεῖον Hippocrati jam, quan-

quantumvis Ethnico, agnitum tum recurrendum ſit, quo non raro fit, ut male ominantibus Medicis æger convaleſcat, bene ſperantibus pereat. Quid enim in malignis viciſſim morbis contra frequentius, quam, ut ſpem noſtram ſigna inflent, deinde vero eludant, & deſtituant? ſic ut ſignis ſæpe optimis aut moriatur æger, aut talem in ſtatum deveniat, quem hariolari Medicus non potuiſſet. Exemplis plurimis hoc roborare poſſem; ſed quid exemplis opus eſt, ubi quotidiana Experientia ubique loquitur? Potius hanc Theſin claudam præclaro Corn. Celſi dicto, quod ad verba Aph. 1. Hippocratis: *Judicium difficile*, laudatus Joh. Heurnius adducit h. m. *Eſt perpetuum in Medicina, quod fieri debeat, non tamen perpetuum eſt, quod ſequi conveniat: ſiquidem multa latent in corpore ignota Medico, multa intercidunt propter peccata ægrorum, & miniſtrorum.*

USUS.

Referri huc merebitur.

MODESTIA, ubi de Eventu morbi aliquid eſt prædicendum, à Medico potiſſimum exercenda; ut vel ſic admonitioni Apoſtolicæ, quæ exprimitur Jacob. 1. v. 19. ſua conſtet Pra-

xis. Frequenter hic peccari videas! Sunt enim, qui, ut admirationem ſui ſtatim pariant, morbos fere omnes, periculoſisſimos ſæpe, imo lethales, parvi faciunt, facilem eorum, & pauco ære redimendam curam promittentes. Sunt contra, qui non minori forte ambitione ducti morbos interdum leves difficillimos, imo funeſtos judicant, & ægrotantium ſic animos jam tum ſæpe proſtratos porro proſternunt. Utroque modo & Exiſtimationem Artis, & Salutem decumbentium periclitari, æquus quisque rerum æſtimator mecum agnoſcet. Utrique vero conſulet Medicus, qui media hic incedit via, & aureum illud: *nec temere, nec timide!* ſibi commendatum habet. Aut mala enim erunt morborum ſigna; periculum inde enatum quidem exponet, interim de Divino Auxilio, cujus & ſunt ê morte egreſſus, non deſperandum monebit. Aut ſigna erunt bona; non tamen propterea, præcipue in morbis malignis, bene ſemper ominabitur, ſed cœptam potius curam conſtanter tum continuandam, reliqua vero Divinæ voluntati permittenda, tempeſtive ſuadebit. Atque hujus mentis veros omnes, & conſcientioſos eſſe Medicos, quis ambigat? Audiamus præ multis unum, Doctiſſimum & ſingularis Induſtriæ nomine ſuperius jam notatum Langium, qui in Oper. ſuorum Theoret. Pract. Semiot. pag. 723. & 24, ubi de Prognoſticis

ſignis

ſignis agit, inter alia ſic loquitur: *circa hæc notandum, quosdam Medicos in Prognoſi morborum nimium temerarios eſſe, ita, ut præter neceſſitatem mortem certo certius huic morbo ſuperventuram eſſe aſſerant, ſive enim tum ſequitur mors, ſive reconvaleſcat æger, reperiunt tamen in utroque caſu, de quo ſibi gratulentur; vel enim ſuo officio ſatisfeciſſe putant, ſi mortem prædixerint infallibiliter, ubi ſecuta eſt; vel majus gloriæ forte, ac honorarii præmium ſe commeritos eſſe exiſtimant, ſi quando præter ſpem, ac opinionem lethaliter ſcilicet decumbentem ê Charontis cymba retraxerint. Sed quemadmodum horum arrogantia ſubtilior eſt, ita illorum faſtus omnino immoderatus, qui in morbis etiam periculoſiſſimis de felici exitu undique loquuntur -- Quidam autem nimium timidi ſunt, ita, ut de leviſſimorum quoque morborum eventu ſuum judicium ferre ſibi maximopere metuant. Ideo media tutius eſt ſervanda via -- De ſalute enim, ac morte infallibiliter judicare, in Medico non eſt; ſatis itaque eſt periculum prævidiſſe, ac præmonuiſſe.* Hæc Langius quibus proinde & parti huic ſecundæ finem imponimus.

PARS TERTIA
THERAPEUTICA.

AD Illam Medicinæ Partem tandem devolvimur, quæ ſanitatem propius iterum ſpectat, *Therapeuticam* ſcilicet, quæ, dum *Hygienen* ſimul complectitur, præſentem ſanitatem conſervare, amiſſam vero reſtituere docet. Media Illa ſua, ut notiſſimum Philiatris eſt, depromit vel ex Diæta, quæ ſex rerum non naturalium regimine; vel Pharmacia, quæ medicamentis, iisque vel Galenicis, vel Chymicis; vel Chirurgia, quæ manu curat. Nos Theſibus quibusdam ſecundum hanc quoque diviſionem enarratis uſus porro inſtituto noſtro inſervientes ex iisdem formabimus.

THESIS I.

Diætæ ad morbos plurimos tum præcavendos, tum curandos magna vis eſt.

PROBATIO.

MEthodum legitime vivendi ad rerum ſex non naturalium normam ſi Diætam appellavero, paucis omnia dixero; & illa enim, quæ

quæ eſt ægrotantium, & illa, quæ ſanis competit, ſic includitur. Scilicet omnis homo, ſi accurato loqui velimus, eſt vel ſanus, vel ægrotus. Uterque Diæta indiget! alia tamen ſanus, alia, qui cum morbo colluctatur. Quod ſanum ſpectat, næ ille in ſingulis fere rebus non naturalibus habet, quod attendat. Aerem ſane, cujus perennem adeo in corpus ſuum influxum agnoſcit, non perinde habebit, ſed quantum fieri poteſt, purum impuro, pellucidum nebuloſo, temperatum intemperato, terreſtrem maritimo, montoſum paludoſo præferet. Alimentorum utut non curet qualitatem, *nullum*, monente Celſo Cap. de Diæt. Sanor. *cibi genus, quo populus utatur, fugiens*; attendet tamen quantitatem, attendet aſſumendorum tempus, attendet ordinem. Quantitatis memor auream illam, quæ *veſci citra ſaturitatem* præcipit, Sanitatis regulam ſolicite obſervabit; in eadem quoque menſa ciborum varietatem, quæ morborum mater, evitans. Temporis etiam rationem habebit; nullum inprimis cibum priori nondum concocto ingerens: non â Dodalirio, aut Machaone, ſed vel â leone ſic edoctus, quem per duos interdum dies, cum perfectam non eſſe coctionem ſentit, â paſtu abſtinere, Zoologi referunt. Nec ordinis prorſus negligens erit; hic, ut cibos omnis generis promiscue comedat; cum enim natura ipſa in concoquendis,

& egerendis alimentis diſcrimen ſervet, Galenum, audiet, qui *quæ concoctu ſunt faciliora diſpeptis, liquida ſolidis, laxa a ſtringentibus, quæ facile deſcendunt diu permanentibus, quæ cito corrumpuntur iis, quæ non facile degenerant, præmitti*, hinc illinc in Scriptis ſuis præcipit. In Somno porro, & Vigiliis juſtum ſtatuet modum; ſic, ut ſomnum quidem moderatum, ceu optimum laſſatorum ſpirituum refectorem, amet, immoderatum vero, & ſic meridianum quoque, ex quo, niſi aſſuetus, niſi Senex, eumque brevem capiat, multa alias mala provenire ſolent, declinabit. Et ſic in motu quoque, & Quiete! quæ ita ad ſe invicem attemperare ſciet Diætæ ſtudioſus ſanus, ut nec quies in ignaviam, nec motus in exceſſum, qualis vehementior, diutius protractus, & ſtatim â pleno paſtu inſtitutus audit, degeneret. Cæterum Excernendorum, & Retinendorum memor non excretionum ſaltem ſenſibilium, qualis eſt alvi & urinæ, quotidianam curam geret, ſed & tranſpirationis, quæ vocatur, inſenſibilis, utpote quam frictione, pectine & quibus poteſt, mediis promovere ſtudebit. Sed & excernenda retinebit! Salivam v. g. quam cum inevitabili chylificationis damno perverſo illo Tabaci abuſu profundunt alii: Semen quoque, cujus *rara* quidem excretio, elegantiſſime ſic rem exprimente Celſo ſuperius citat. de Diæt. San. Cap. *corpus*

pus excitat, frequens ſolvit. Neque hoc mirum; cum non vitioſus humor, non bilis, aut ſanguis, ſed ſanguinis ipſe cremor, & quinta, ut ita dicam, eſſentia, cujus ex Avicennæ computatione una gutta centum ſanguinis prævalet, hac ratione pereat. Animi denique Pathemata rationis freno gubernabit; cumque inter illa Ira potiſſimum, & Triſtitia nocentiſſimi; Sanitati affectus ſint, ille quidem blandam ſanguinis fermentationem turbando, hic vero ſpiritus animales, ipſius vitæ conſervatores, ſuffocando, hos, quantum per Dei gratiam fieri poteſt, compeſcet, matureque, ubi imperium affectant, intra virtutis cancellos rediget. Et hac quidem Methodo incedentes quin â multis ſeſe morbis præſervare poſſint, quis dubitet? Erant certe tales primæ ætatis homines & Patriarchæ, quorum â tot poſtea Philoſophis ænigmatico calamiſtro delineatus Lapis Philoſophicus nonniſi Continentia & Temperantia erat, quo potiti non ſanisſimi ſolum, ſed & diutisſime vixerunt. Licet enim, quod Patriarcharum longæ vitatem attinet, â peculiari Dei Gratia eam cum nonnullis deduxeris; & victus tamen rationem, qua non ſobrietati ſolum, ſed & alimentorum ſimplicitati ſtudebant, hic concurriſſe, extra dubium eſt. Saltem nunquam ſine delectatione convivii recordor, quo Abrahamus tres illos Viros, at quantos Hoſpites! exceperiſ-

cepiſſe legitur Gen. 18 Dapes enim, quæ fronde ſuper viridi, loco & amœniſſimo & ſaluberrimo, apponebantur, erant lac, butyrum, caro vitulina, & placentæ. Non de cibis hic ratione ſaporum & facultatum ſibi invicem contrariis, dulcibus, acidis, aromaticis, ſalſis, inſulſis, fervidis, frigidis, qualia ars nunc coquinaria in guſtus quidem blandimentum, ſanitatis autem maniſeſtisſimum detrimentum in unum paſtum redigere ſolet, lego; erant alimenta eupepta, nutritiva, & vel nativa ſua ſimplicitate multum commendanda. Nec recentior, imo recentisſima ætas talibus exemplis deſtituitur. De Zenone Cittiæo, & Ariſtippo Cyrenæo notum eſt, adeo illos frugalitatem, & temperantiam coluiſſe, ut alter proverbio, *Zenone temperantior*, anſam dederit, alter non tantum abſtinens, ſed Abſtinentia dictus fuerit. Quin de Socrate refert Laertius, eum temperantia ſua effeciſſe, ut, cum Athenas peſtis ſæpe numero exagitaret, ipſe nunquam ægrotarit. Singulare vero eſt, & ſcopum noſtrum plane feriens, quod de Nicolao Leoniceno, Prof. Med. Ferrarienſi annotatum reperimus, eum aliquando rogatum, ut ingenue proferret, quonam arcano Artis Medicæ uteretur, ut tanto cum corporis & animi vigore ſenectutis vitia (ultra 60. enim annos Artem docuit, annum ætatis 96. ſine morbo, ſine incurvatione

quoque

quoque corporis ingreſſus, eluderet, reſpondiſſe: *vividum ingenium perpetua vitæ innocentia, ſalubre vero corpus bilari frugalitatis præſidio facile tuemur*; aut, ut alii reſponſum exprimunt: *Se viridi vegetaque uti ſenecta, quia caſtam juventutem virili ætati tradidiſſet.* Quibus non poſſum non adjungere memorabilem illam ſenectam, quam in ſatellite quodam Principis Oettingenſis deſcribit Lentilius Miſcell. Med. Pract. part. 1. pag. 223. h. m. *Per annos 55.* inquit, *in eodem Conjugio vivit. Ipſius uxor eſt annorum 90. ipſe octuagenarius. Senſibus eſt integris, externis & internis omnibus, excepta memoria quæ, vix tamen ſenſibiliter, labaſcit. Vegetus eſt, & robore corporis tali, quali vix quadragenarii gaudeant, ſicuti & equo ad me commeavit, inde diſtante duobus milliaribus domicilio. Præter Variolas, & Morbillos, inevitabiles propemodum, & catholicos morbos nunquam per vitam ægrotavit. Aliquando ipſi juveni Ratisbonæ venenum ex vino à puella fuit propinatum: naturæ autem ſibi relictæ robur toxicum per aliquot ſpontaneos Vomitus extudit, & quamvis lecto per ſex hebdomades affigeretur, ſpontanei tamen itidem ſudores debilitatem artubus expulerunt, ſic ut ad ſe paulatim redierit, veneni ne ullo quidem veſtigio in toto corpore relicto, homine ad obeunda munia pariter alacri, quam fuerat ante hauſtum venenum. Porro medicaminis ne micam quidem aſſumſit per omnem*

 vitam.

vitam. Nunquam purgavit, V. S. tamen ſuo tempore, & cucurbitulis ſcurificatis uſus: & quamvis pocillatoris munere tum Vindelicorum Auguſtæ, tum Ratisbonæ etiam per tempus bene diuturnum defungeretur, vina guſtaret, emeret abſtinens tamen & vini & cereviſiæ ab infantia fuit, & quidem ſponte abſtinens, nullo naturæ horrore, alter quidam Rechabita, ſolius aquæ potor. Et hæc de Diæte ſanorum! cujus vel ſolius ad ſanitatem conſervandam magnam ſic vim eſſe, ſatis, ut arbitror, patuit. Reſtat Diæta ægrotantium: qualem ſi ſtrictiorem appellavero, nihil contra ſana Artis noſtræ dogmata, aut ea, quæ Experientiæ innixa ſunt, dixero. Etiamſi enim, uti in ſanis, ſic in ægrotantibus quoque conſuetudinem, & ſemel receptam vivendi rationem maxime attendendam, ambabus largiar manibus, prudentis idcirco Medici eſſe ratus, afflictis per moroſas præceptiones non addere novas afflictiones; quædam tamen ubi de alimentorum inprimis qualitatibus ſermo eſt peculiariter quoque hic obſervanda, extra dubitationis aleam poſitum erit. Quis ſanus unquam Practicus Epileptico ſuo temere concederet alimenta fumata, inque muria condita? Lippo ſuo acria? Hæmoptoico ſalſa, calida, & aromatica? Hypochondriaco ſicca, & concoctu difficilia? Dyſenterico dura pariter, ac dyſpepta? Lumbricis vexato lacticinia? Calculoſo caſeum? Hyſtericæ ace-

acetum, dulcia item, & ſacharata? Quartanario denique ova durius frixa, pinguia, & id genus alia? Cum enim, optime cauſam exprimente Primeroſio de Err. Vulg. l. 3. c. 6. & *ciborum qualitas morbo debeat adverſari, ut ſit in cibo medicamentum*, quis non videt ut quantitatis (cujus ſane ſubjecto ſuo inhærentis magna efficacia eſt) ita & alimentorum qualitatis, reſpectu cujus quædam plane fugienda, ſolicitam hic habendam eſſe rationem? Experti id innumeri, imo experiuntur indies, quotquot ſolo accurato victus regimine vel morbos ſuos plane abegerunt, vel felicem eorundem curam mirum quantum promoverunt. Quot non cum Aurelio Imperatore ſola abſtinentia ſanati ſunt? Quot non hydropici reſtituti, poſtquam non obſtante intolerabili ſiti â potulentis ſibi temperare didicerunt? Quid in Phthiſi incipiente accurata valeat victus ratio, & quomodo res modo non omnis ea peragatur, norunt Practici. Imo, quid in fiente poſſit Hectica, obvium eſt, & vel ſola illa Lentilii Obſervatio ſatis edocet, qua Comitem novem annorum in Hecticæ jam limitibus conſtitutum non niſi mutata victus ratione ſervare potuit; ceu Miſc. Med. Pract. p. 34. & ſeq. pluribus ipſe hoc refert. Taceo, & ad reliquas res non naturales hanc ægrotantium Diætam ſeſe extendere; qua ſane neglecta & efficaciſſima medicamenta in caſſum

caſſum exhiberi, Experientia docet. Quis verus v. g. Medicus patienti ſuo ad affectum ſoporoſum prono non diſſuaderet hic ſomnum nimium? Paralytico Venerem? Epileptico Iram? alvi ſegnitie laboranti ſudationem multam? Coluum habenti paroſysmum frigus motumque corporis? qualem contra lignorum fiſſione ſtatuta, quotidie hora factum Concionatori cuidam Valetudinario ad integram ſanitatem unice profuiſſe, & Inaugurali de Commod. Exercit. Corp. Præſide Excellentiſſimo Bergero Wittenbergæ A. 1705. habita Nov. Lit. Germ. recenſent. Saltem inter extrema morborum remedia & Aeris mutatio refertur! & quanto cum ſucceſſu, non Galeni ſolum, qui Phthiſicos jam ſuos ad Tabias, locum ſiccioris magisque ſereni aeris prope Veſuvium Campaniæ montem, ablegare ſolebat, ſed & hodierna Anglorum Experientia ſatis conſtat, qui tabidos ſuos, febribusque intermittentibus diu afflictos, in Galliam transfretare feliciter jubent. Pluribus hæc poſſem aſtruere; ſed quid in media dici luce accenſa face opus eſt? Juvabit interim Experientiſſimi adhuc Thoneri hic annectere ſuffragium, qui, poſtquam Ludovici Cornari, Patricii Veneti, ab anno 25. ad 45. â variis Medicis in caſſum tractati, & ſtricta denique Diæta & ſanitatem, & annum ætatis 95. adepti, exemplum expoſuisſet, ita concludit: *Si ab ineunte ætate valetu*

letudinariis beneficio commodæ Diætæ ad longævitatem aſpirare licitum, multo magis id ſperandum in iis, quibus â Natura ſuperum favore obtigit laudabilis corporis conſtitutio. Exin (pergit ad Senium proprium, cum annum æt. octuageſimum ſecundum corpore animoque vegetus exceſſiſſet) *nihil miri, ſi & mihi â Natura optima temperatura dotato, temperantiæ inſuper ſtudioſo quaſi ad Neſtoreos annos pertingere fas.* Et paucis interjectis: *is eſt fructus Continentiæ, quod Genius meus â gula alienus;* ceu in Ep. Ejus Med. Ph. 5. pluribus hæc legi poſſunt.

USUS.

Quemadmodum Promus condus varia ad victum neceſſaria ex cella ſua depromit; ſic noſtra nunc Meditatio non unam ad vitam pie tranſigendam Virtutem. Eſt certe talis,

FRUGALITAS, aurea illa in capiendo nutrimento Temperantia; eaque, ubi de cibo aliquid eſt determinandum, Abſtinentia, ubi de potu, Sobrietas nonnullis audiens. Digna profecto tum quovis Chriſtiano, tum vero inprimis Medico Virtus! quam uti in ſacro Codice partim expreſſis verbis, Syracid. nempe 38. v. 32.

v. 32. 33 & 34. Luc. 21. v. 34. Epheſ. 5. v. 18. 1. Petr. 4. v. 8. ibid. c. 5. v. 8. &c. partim illuſtri illo Danielis, hujusque Contubernalium Exemplo apud Dan. 1. v. 12. inculcatam novit; ſic vel in propria, quam quotidie exercet, Arte ubique videt commendari. Quis enim ſtudioſe illam non ſectaretur virtutem, cujus exercitium cum corporis animique tranquillitate, at quanto bono! neglectum vero eum præſentisſima ſanitatis ruina, at quanto malo! conjunctum, vel quotidiana ſic Experientia convictus, non ignorat? Ut mirandum ſit, & Paradoxis accenſeri mereatur, dari Medicos intemperantes, & qui, quas aliis præſcribunt ſanitatis regulas, ipſi non attendunt; ſtatuis, quas vocant, Mercurialibus hac in parte ſimiles, qui rectam quidem viam viatoribus commonſtrant, ipſæ ſuo loco fixæ manentes. Novit tamen & antiqua, & recentior ætas Medicos quoque frugales, nec præceptis ſolum, ſed & opere ipſo hanc virtutem ſerio excolentes. De Melchiore Sebizio, æterno illo Argentinenſis Academiæ Decore, ut Conringius Eum appellat, ex ſuperioribus jam liquet, non ſanitais ſolum regulas (fecit autem id integris 5 libris) eundem præſcripſiſſe, ſed & harum regularum veritatem ſuo, & totius familiæ longævitate comprobaſſe. Sic de Jacobo Bordingo, Hafnienſis illo Academiæ, & qui Sedulitatis quoque nomine

jam

jam nobis innotuit, Profeſſore annotatum,eum ſobrie & temperanter quotidie tum domi, tum alibi vixiſſe. Æquabat certe hos, ſi non ſuperabat, Reipublicæ Noribergenſis Ocellus, Joachimus Camerarius, de quo conſtat, eum luxum & omnem pompam graviſſime averſatum, frugalem fuiſſe domi, cibi admodum pauci, vini temperantiſſimum, ſomno minime indulgentem; â lucubrationibus quidem, niſi magna neceſſitate flagitante, abſtinuiſſe, ſummo autem mane ſemper ſurrexiſſe, & ſtatim â ſacra lectione ad ſtudia ſua perrexiſſe, & hanc vitæ conſuetudinem Philippo Melanchthoni acceptam retuliſſe. Singulare quoque eſt, quod de Henrico iterum Smetio memoriæ proditum reperio, Temperantiæ nempe eum & ſobrietatis adeo fuiſſe ſtudioſum, ut, ex quo ſemel in prima adoleſcentia capitis dolore atque in ſomniis unius noctis ex nimio potu Lovanii laboraſſet, nunquam deinceps per omnem vitam ullis precibus, machiniſque ad minimam crapulæ ſpeciem adduci potuerit; crebro inſuper teſtatum, *ita ſe bibere, ut, quocunque temporis articulo accerſeretur ad ægros, idoneus ſit ad faciendum prudenter officium.* Quemadmodum nec immerito forte huc referas laudabilem illam Felicis Plateri conſuetudinem, qua in conviviis Magnatum in multas utplurimum horas protrahi ſolitis per aliquod tempus â potu ſe abſtinuiſſe, ſicque ſanita-

nitatem ſuam in ſeros usque annos ſartam tetamque conſervaſſe, O. l. 1. pag. 41. ipſe refert. Digniſſima certe, & cunctis inter Chriſtianos nomen ſuum profitentibus Philiatris multum commendanda Exempla! Cognata vero Frugalitati Virtus etiam eſt

CASTITAS, illa in moderanda Venere, ſeu generandi appetitu Temperantia; quam uti re ipſa, ſic & geſtibus, verbis, imo corde, tum in matrimonio, tum extra illud Medicus ſectabitur Chriſtianus. Et ſane, ſi ulla Virtus, hæc in ſacris paſſim iterum injuncta obſervatur; partim quidem pulcherrimo illo Joſephi Exemplo, de quo Gen. 39. v. 9. legitur, partim diſertis Veteris Novique Teſtamenti locis, inter quæ eminent, quæ Exod. 20. v. 14. Deuter. 23. v. 17. Prov. 7. v. 24. usque ad finem, Rom. 13. v. 13. 1. Corinth. 10. v. 8. Galat. 5. v. 22. Epheſ. 5. v. 3. 1. Theſſal. 4. v. 3. 4. & 5. Tit. 2. v. 12. extant. Saltem peculiari admodum, & ſcopum hic noſtrum plane attingente argumento, Apoſtolus utitur, quando cætera quidem peccata extra corpus committi, ſcortationem vero in proprio corpore perpetrari, & hinc eam ejus fugiendam, 1. Corinth. 6. v. 18. aſſerit. Scilicet nemo ſana mente præditus vim ſuo corpori damnumque volens inferet; quod tamen revera faciunt, qui libidini indulgent, & iniquisſimæ huic, ut ita dicam, Helenæ vires ſuas, imo vitam devovent.

Egre-

Egregiam igitur Virtutem, quæ luxuriantem hic appetitum intra cancellos ſuos redigit! Imo felices ter & amplius, qui aliorum damnis, & vel quotidiana Experientia edocti, virtutem hanc ſerio colunt! Saniorum ſic quoque veſtigiis inhærentes. De Leonhardo Fuchſio, Tübingenſi Medico, ſcriptis proditum eſt, eum ſingulari claruiſſe Temperantia, & hac ratione corporis robur valetudinemque integram ultra annum ſexageſimum ſibi conſervaſſe; eum in modum, quo Nicolaum Leonicenum caſtitatis ſuæ fructum ex diuturna vegetaque ſenecta percepiſſe, jam diximus. Jacobus Milichius, Prof. Med. Wittenbergenſis, uti Exemplum illuſtre fuit omnium Virtutum, quibus familiæ inprimis, quam Eccleſiam parvam idcirco dixiſſet, conſuluit, ſic etiam Conjugio caſtisſime vixiſſe, perhibetur. Quibus merito Conradum Geſnerum, illum ab immortali, quod de Hiſtoria animalium conſcripſit, Opere notisſimum Tigurenſem Medicum addo, in quo libidinis ne veſtigium quidem apparuiſſe legitur; pudoris enim & verecundiæ tanta ipſi fuit ratio, ut obſcœnum aliquid non modo ipſe dicere, vel ab aliis audire, ſed ne legere quidem ſuſtineret. Commendata vero ex Theſi etiam noſtra erit.

MANSUETUDO, quæ deſcribitur, quod ſit Virtus moralis, in iraſcendo modum obſervans; quam proinde affectui maxime im-

placido, & turbulento, monſtro rabido, & execrabili, & cujus ideo diligentem refrenationem inter Diætæ regulas collocavimus, feliciter opposuerimus. Scilicet & hæc Virtus pulcherrima ſibi erit merces, ſi uſum, quem ad ſanitatem conſervandam ſic præſtabit, perpenderimus; qui ſane talis eſt, ut ad eundem ipſe Salvator Matth. 5. v. 5. procul dubio ſimul reſpexerit, quando manſuetis *hæreditatem terræ* h. e. longævitatem ibi promittit. Et ſane, ſi cuivis Chriſtiano neceſſaria hæc eſt Virtus, quam Paulus Apoſtolus præſertim præclaris adeo locis, potiſſimum Epheſ. 4. v. 2. Philip. 4. v. 5. Coloſſ. 3. v. 12. & Tit. 3. v. 2. &c. inculcat; neſcio, an ulla ſit, cujus exercendæ Medico inprimis crebriores incidant occaſiones? Ne enim nunc de moleſtiis ab iis, qui ægro præſto ſunt, Medico imminentibus, & monente Clariſſimo Sylvio pilularum inſtar potius deglutiendis quam maſticandis, multa dicam; quanta quæſo inter ægrotantes ipſos ſæpe non occurrit morum diverſitas, imo perverſitas? Videas hic patientes vere impatientes! Videas moroſos, &, ubi non ad nutum omnia geruntur, torvum tuentes, indignantes! Videas immorigeros, & medicamenta â Medico præſcripta vel plane non, vel non ſecundum methodum ſumentes! quales quidem quantam Medico faciant injuriam, efficiendo duos ipſi hoſtes, ubi poſſet habere unum, graphice explicat

plicat laudatus ſæpe Thonerus, & quidem Obſ. Med.l 1. c. 1. ubi immorigerum talem, qui multum ei in cura negotii fecit, ſimul deſcribit. Videas inconſtantes! qui, ubi curæ probæ via factum initium, eandem abrumpunt, & ad alios non ſolum Medicos, ſed & horum miniſtros properant, imo *ad olidos* ſæpe *myropolas*, *circumpurpuratos agyrtas*, *fraudulentos dentifrangibulos*, *umbraticos medicaſtros*, *infames magos*, *præſtigiatores*, *prodigioſos uromantas*, *exteſticulatores lithotomos*, *grandiſtrepos ſacrificulos*, *fumarios ciniflones &c.* ceu in Miſc. Cur. Germ. Ann. 2. O. 26. hæ Artis noſtræ maculæ enumerantur, pleno gradu tendunt. Campus quoque hic mihi aperietur dicendi de Ægrotantium quorundam ingratitudine; quæ ſane, ſi unquam, hoc inprimis tempore morbus fere fit Epidemius: Adeo verum nunc illud Euricii Cordi, Bremenſis quondam & Medici & Poetæ:

Tres Medicus facies habet; unam, quando rogatur
Angelicam: mox eſt, cum juvat, ipſe Deus:
Poſt, ubi curato poſcit ſua præmia morbo,
Horridus apparet, terribilisque Satan.

Paſſim hinc & Medicorum noſtri ſeculi & querelas, & monita audias Scapham certe Scapham appellat Clariſſimus Ammannus quando Med. uæ Critic. Diſcurſ. ſuper Caſ. 5. ita loquitur: *Chiragra patientum nunc valde familiaris eſt erga*

Medicos; & Diſcurſ. ad Caſ. 9. *Medice vivere eſt peſſime vivere ratione ſoſtri. Reliqui enim artifices poſtulant, quod promeriti ſunt noſtra vero remuneratio ſoli diſcretioni patientis relinquitur, qua ſi deſtituitur ipſe, contenti debemus eſſe blanda illa compellatione: Ich bin des Herrn ſein Diener.* Quod probe ſecum quoque reputans B. Meibomius Carmini in honorem Medicinæ Canditati de Doloribus diſputantis conſcripto ſequentem quondam annectebat clauſulam:

Interim hoc memori reconde mente:
Solvat, dum dolor urget, æger aſſes,
Ut conſtet pretium tuo labori.
Namque ubi dolor avolavit, ægros
Sæpe mens quoque grata deſerit, nec
Doloris meminere, nec medentis.

Scilicet in ea nunc incidimus tempora, quibus ægrotantium, quibus quidem remunerandi Medicum facultas non deeſt, plerique aut gratis, aut pretio ſaltem ne decimam quidem operæ Medicæ partem exhauriente curari volunt; non conſiderantes, etiamſi plurimum quis dederit Medico, juſtam tamen recuperatæ ſanitatis mercedem nunquam perſolvi. Quamvis enim non Medicus, ſed Deus, â quo omnis medela, ſalutem reddiderit; æquiſſimum tamen, & ſine ingratiſſimi animi crimine non prætermittendum, ut Medici & pietas, & animi ſolicitudo, & multiplex diligentia, quibus ſervare te Divinæ Clementiæ

mentiæ placuit, agnoſcantur, imo honorarium pro his non parcum, non conciſum, ſed liberale, & quod dignum relatarum gratiarum ſpecimen haberi poſſit, offeratur. Verum cum hæc ſæpius non fiant, Salariis vero, quibus alias defectum hunc ſolari quadantenus poterant, plerisque nunc locis Medici deſtituantur; quid mirum, ſi aut ad alia, minus ſæpe honeſta, ſaltem Medico indigna vitæ ſuſtentandæ adminicula nonnulli deflectant, aut mœrore confecti ante diem Praxin ſuam deſerere cogantur? Quid igitur faciendum hic Medico Chriſtiano? an, quæ culpa ſic ægrotorum, & temere Nobiliſſimæ Arti ſeſe ingerentium eveniunt, feret omnia, & concoquet? Equidem non arbitrer; potius, ubi de turpiſſimis medicaſtris ſermo eſt, perſuaſus, de ſalute communi melius non poſſe mereri Medicum, quam ſi eorundem conatus, quantum poteſt, reprimat fideliter rem omnem, ubi opus, exponat, nihilque non agat, quod ad inhibenda nocentiſſimorum, inque viscera humana plerumque graſſantium hominum experimenta facere ullo modo queat. Quemadmodum, quod ingratos illos ſpectat, nemo æquus vitio vertet Medico, ſi, ubi neceſſitas id requirit, negligentes hic debiti ſui commonefaciat, promeritamque laborum mercedem juxta præſcriptam â ſummo Imperio normam (qualem quidem ſaluberrimo quoque *Edicto* ſuo *Medici-*

 nali

nali ab Auguſtiſſimo REGE noſtro inſertam devotisſima animi ſubmisſione in his terris veneramur) ab ingratis exigat. Cum vero deplorare magis, quam emendare corrupti hujus Seculi nævos hac in parte omnes liceat; quid Chriſtiano tandem Medico reſtat, niſi ut mortalium ægrorum vices vel hoc nomine doleat, cæterum, quos corrigere nequit, perverſus mores, quanta fieri poteſt, Manſuetudine ferat, ac toleret? Exemplum omni exceptione majus hic ſiſtet Ipſe Salvator, Divinus ille animarum & corporum, dum in hoc mundo videndum ſe præberet, Medicus; qui, ut paſſim Virtutis hujus perfectiſſimum ſe exhibuit Magiſtrum, uti videre eſt Matth. 26. v. 50. Luc. 9. v. 55. & 56. ibid. 22. v. 51. & 23. v. 34. ſic non dubitavit hoc ſuum Exemplum omnibus imitandum proponere, quando Matth. 11. v. 29. coacto humani generis cœtu exclamat: *diſcite â me, quia mitis ſum!* quaſi ad hoc redegiſſet omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ, ut ab eo diſcamus mites eſſe. Sed ne deeſſent, qui cœleſtis hujus Præceptoris veſtigiis pro virili inſiſterent, inter alios effecit Paulus Ricius, Maximiliani I. Imperatoris Medicus, & ex Judæo Chriſtianus factus, quem ea ſcribunt lenitate morumque facilitate fuiſſe, ut amico quidem patrocinari fortiter potuerit, â conviciis vero in adverſarium magnopere ſibi temperarit; magis ſcilicet

rupu-

reputans, quid ſe, quam illo dignum? Sic Jacobus Zwingerus, Med. Prof. Baſileenſis, inprimis quoque ab hac Virtute laudatur; unde factum, ut cum Collegis viveret pacificus, & multa tranquillitati publicæ condonaret, ſi quæ humanitus accidebant. Et pertinent huc, quæ de Jacobo Flachio, Prof. Med. Jenenſi, Adrian. Beyer, Nomencl. Prof. Jurid. num. 17. p. 560. refert; eum nempe â Samuele Protagio, JCto, & ibîdem pariter Prof. Cathedra, ex qua auditores jam ſuos is docebat, deſcendere juſſum his verbis: *cede majori!* ſcite non minus, quam placide repoſuiſſe: *parce minori!* & miti hac reſponſione cum hoc impetraſſe, ut firma non ſolum amicitia amborum poſtea animi coaluerint, ſed & Medici in Auditorio Juridico profitendi pariter licentiam obtinuerint. Reſtabit vero ex Theſi etiam noſtra

GAUDIUM IN DOMINO, Virtus, cujus paſſim in Scriptura S. potisſimum vero Rom. 12. v. 12. Philipp. 4. v. 4 & 1. Theſſal. 5. v. 16. admonemur; & quam proinde Triſtitiæ, cujus noxam in deſtruenda ſanitate pariter cognovimus, feliciter Medicus opponet. Et ſane neceſſarium eo magis hoc gaudium ſibi deprehendet, quo minus deliciarum in ipſo Artis uſu inveniet. Ecquid delectationis habet intereſſe tot gemitibus & planctibus ægrotantium, audire ſubinde adſtantiū querelas videre nil niſi

facies Hippocraticas, ſpectare vulnera, ulcera, & quæ ſunt ſexcenta alia, quibus humanum corpus defœdavit lapſus? Verbo: ſumus contemplatores miſeriæ humanæ! & hinc ratione profeſſionis ad corrugandam potius, quam exporrigendam frontem compoſiti. Erigendus igitur iterum erit animus, & ubi ad externorum malorum ſpeciem labaſcere incipit, Divinæ in Chriſto partæ Gratiæ recordatione, meliorisque hinc vitæ ſpe ſubinde firmandus. Qua quidem in mentis compoſitione quin felices fecerint progreſſus Artis quidam noſtræ Coryphæi, dubitare me non ſinit, quod appropinquantem in ſemetipſis, & pleraque pectora magnopere concutientem mortem læto & tranquillo vultu exceperint. De Jacobo Millichio, cujus caſtitatem modo deprædicavimus, annotatum reperio, cum morti vicinum coram Philippo Melanchthone his verbis uſum: *etſi iter ſit durum, tamen, cum ſciat, homines non caſu naſci ad tantas calamitates, ſed reſtare aliam vitam meliorem, ſe expetere illius vitæ ſapientiam, ubi Deum coram, & cauſas mirabilium operum in natura cernat, & ducente Filio Dei ſpe fruendæ illius ſapientiæ ſe minus ab itinere illo abhorrere.* De Georgio Laubio, Phyſico Auguſtano, literis quoque proditum, Eum longa mortis meditatione ad mortem ſe prius paraſſe, quam impetum faceret; unde

unde effigiei quoque ſuæ æri inciſæ Diſtichon â ſe factum addi voluit:

Mors mihi non mors eſt; quia Chriſti morte redemtus
Non morior: vita eſt mors Tua, Chriſte, mihi.

Sic ſingulare pariter eſt, quod de Jacobo Zwingero, cujus Manſuetudinem notavimus, narratur, Eundem paulo ante Obitum (obiit autem peſte æt. anno 41.) magno excelſoque animo Hiobi verba ſubinde ingeminaſſe: *etiamſi Domine occideris me, tamen in te ſemper ſperabo;* moribundum vero cœleſti afflatum Numine in hæc erupiſſe: *gaudio ego, atque adeo exulto, jam tandem illuxiſſe tempus, quo Ille Ille præpotens Jehova, cujus majeſtatem in naturæ indagatione miratus ſum, veneratus quoque bonitatem, quem fide deſideravi, quem ſuſpiravi, â facie jam ſe mihi ad faciem viſendum exhibebit.* Et quo tandem piaculo hic prætercam illum B. Friderici Schraderi, Med. & Phyſ. in Acad. Julia Prof. Ord. Facult. Med. Senioris, & Archiatri Gvelphici, Præceptoris, & Promotoris olim mei cariſſimi, lætum ex hac vita diſceſſum? Appropinquante is vitæ termino dixit: *antea ad piam mortis meditationem memet excitaturus dicere ſolebam: memento mori; in diuturna hac corporis ægritudine ſæpius dixi: disce mori; nunc vero dicendum: gaude mori.* Cum ſub veſperam, in-

ſtante jam decretoria hora ex adſtantium ore verba audiret: *juſtificati per fidem pacem habemus cum Deo;* clara, & diſtincta voce, manu pectori admota, dixit: *imo hanc habeo.* Quæ locutus obdormire cœpit, donec circa horam nonam placida reſolutione animam ê corpore emiſit; ceu Nov. Lit. Germ. Anni 1705. & quidem m. Febr. hæc recenſent.

THESIS II.

Ubi Pharmaciæ locus, vulgaribus, nullo aut exiguo labore paratis, & hinc euporiſtis medicamentis multum ſæpe efficere licet.

PROBATIO.

Quamvis Diæta, ut audivimus, ad ſanitatem non ſolum conſervandam, ſed & amiſſam reſtituendam multum ſæpe valeat; non ſemper tamen, præſertim in morbis ea ſufficit, ſed Pharmacia tum, h. e. medicamentis, quæ naturam corruptam alterent, & vel corrigendo, vel evacuando, vel confortando agant, opus eſt. Neque vero magnus apparatus, qualem in parandis remediis Chymicis, pretioſis utplurimum idcirco, adhibemus, hic requi-

requiritur; ſed ita & hac in parte humano generi conſultum voluit Benigniſſima Natura, ut in rebus ſæpe vulgariſſimis, ubivis obviis, & quas vel culina, vel, ſi mavis, levis Galenica præparatio perficit, contra morbos præſidium inveniret. Erit citra controverſiam talis res Aqua communis; quæ, dummodo ad mentem Plinii aerem ſapore, odore, & conſiſtentia referat, cum non ſolum nutriendi, ſed & ſudorem movendi, incidendi, figendi, & temperandi virtutibus ſic polleat, mirandos ſæpe, & ab exquiſitiſſimis alias medicamentis viæ expectandos edidit effectus. Liquet id non agreſtium ſolum, & plebejæ ſortis hominum exemplis, qui febribus ardentibus correpti vel largiſſimo limpidæ aquæ potu ſanguinis æſtum retundunt; ſed & magni nominis Viros in tempeſtivo, & quidem frigidæ uſu opem inveniſſe, conſtat. Sic Philippus Ingraſſias Siciliæ Proregem Johannem de Vega, qui ſumto pharmaco ſegniter purgabatur, ſuperexhibita frigida cum pauco ſacharo libra una feliciter reſtituit; pro quo medendi genere non ſolum magnas Ingraſſiæ gratias egit Patiens, ſed & vas argenteum, ex quo frigidam hauſerat, pretii aureorum quinquaginta ipſi dedit: ceu ipſe libr. de frig. pot. poſ. medic. hoc refert. Quale forte & illud eſt, cujus hiſtoriam recenſet Braſſavolus c. 9. tr. de med. purgant. dum ſcribit, Ferrarienſium Ducem Borſium

ſium in alvi duritiem pertinaciſſimam incidiſſe, ab hac vero conſilio Michaelis Savanarolæ, Medici eo tempore inſignis, qui ſuper pavimentum marmoreum copioſiore frigida conſperſum nudis pedibus Ducem ambulare juſſerat, liberatum centum aureis hanc medelam remuneraſſe. Nec alio ſane quam aquæ talis ſimplicis nomine Fons novus, Soterius vulgo habitus, & circa ipſum Anni 1707. Solſtitium æſtivale ab opilione in ſolo arenoſo hic Solquellæ detectus ſuos edidit effectus. Quamvis enim, ut fieri in tanto hominum confluxu neceſſe eſt, plurimi in caſſum, nonnulli etiam cum damno eo uſi fuerint; quosdam tamen, Arthriticos præſertim, Aſthmaticos, & defluxionibus ad ſenſoria correptos, imo hyſtericas quoque mulieres, cum euphoria eundem ad tempus adhibuiſſe, diffitendum non eſt. Ut proin, quod Joh. Henr. Decker, Medicus Hamburgenſis, de Fonte Bergedorffenſi haud ita pridem judicavit, in hunc quoque magnam partem applicari queat! deducendo ejus effectum â viribus Medicis cuique fonti puriori propriis, nec cauſis quibusdam concomitantibus, quales ſunt animi affectus, mutatio loci, &c. hinc excluſis. Quid tepida porro poſſit, Veterum jam tepidam cum multo ſale pro ciendo vomitu exhibentium Experientia patet. Obſolevit quidem hæc ferme Medicina, ex quo Antimoniata, certioris & expedi-

peditioris operationis emetica, inventa ſunt; ſed invaluit contra uſus calidæ, quam non ſolum in tenuis, ſed & magnæ fortunæ ægrotantibus, felicis pariter factæ curæ gloriam tandem reportaſſe, certum eſt. Notabile enim, quod Excellentiſſimus Behrends, Ducis Brunſuicenſis nunc Archiater, in ſua de Aq. calid. pot. Diſſert. ex Obſervatione Cl. Meibomii adducit Exemplum de Illuſtriſſima Perſona ſexagenaria, quæ per longum temporis ſpatium, miſſis aliis potibus, calida pani ſimilaceo toſto, & pulvere nucis moſchatæ conſperſo ſuperinfuſa, paucoque ſacharo ſuaviori reddita uſa, podagra non tantum, & tumoribus, ulceribusque pedum, quibus affligebatur, ceſſantibus, ſed & reliquo ſimul ſenio læte & tranquille ex voto omnium bonorum ſic peracto. Et pertinet huc egregius ſeculi noſtri doctorum, & expertorum Medicorum mos, quo ad modum Herbæ Thee non Veronicum modo, de cujus efficacia Herbæ Thee præferenda in peculiari quoque Diſſertatione Artis & Doctrinæ Decus, Frider. Hoffmannus, Conſiliarius & Prof. Regius Halenſis, dudum egit, ſed & alias vernaculas plantas in aquam ferventem infundunt, & harum tum uſum in pectoris inprimis, aliisque affectibus Chronicis efficaciſſimum deprehendunt. Scilicet peculiare plane quid ſimplicia, & euporiſta plurima vel infuſa, vel ſi magis placet, culinari

opera

opera decocta in morbis plurimis poſſident. Quid ſtercore caprillo, vel ovillo, vilius excogitari poſſet? hoc tamen Cereviſiæ infuſum, & expreſſum nauſerſum quidem, ſed ad expellendas varialas commodiſſimum ruricolis remedium præbere, quis neſcit? Quid vero pro eodem ſcopo, & tum inprimis, quando pectoris ſymoptomata affligunt, Decoctum milii cum ficubus præſtet, non Foreſti ſolum, ſed etiam, qui Ipſum ſecuti, fida annotatione conſtat. Neſcio enim, qui præ aliis fere omnibus Decoctorum formula pectori arrideat? ceu idcirco Decoctum hederæ terreſtris reliqua cuncta inde parata non in Pleuritide ſolum, ſed & reliquis pectoris affectibus virtute ſua vincit; id, quod in Phthiſico quodam confirmato, qui in continuato Decocti hujus uſu, & reſtituta hinc expectoratione unicum ſolamen ſatis diu inveniebat, evidenter ſum expertus. Ne dicam, in aliis quoque morbis Decoctis interdum poſſe effici, quod maximis Chymicis arcanis forte non præſtitiſſes; ut in Iliaca paſſione id patuit, in qua vel ſolum fl. Chamomillæ, aut Malvæ Decoctum mira interdum peregit. Saltem ad diverſiſſimos & modo non omnes morbos vulgarium talium, & nullis ſumtibus acquirendorum medicamentorum uſus ſeſe extendit. Sic in Arthritide Betonicam ſuam laudat Hildanus O. 32, Cent, 6, in eadem Radicem Lappæ cere-

viſiæ

viſiæ incoctam Foreſtus O. 7. l. 29. in Eryſipelate ſuffitum ex pulvere Sabinæ Reusnerus Obſ. à Velſch. edit. 124. in hæmorrhagiis Urticæ ſuccum Riverius Prax. Med. l. 3. c. 7. in Vulneribus contuſum Millefolium Baricellus hortul. gen. pag. 120. in Tophis, & Scirrhis cataplasma ex furfure Foreſtus iterum O. 28. l. 29. in Scrophulis ſeu ſtrumis Paronychiam rutaceo folio cereviſiæ infuſam Boyle de Utilit. Philoſoph. Exp. part. 1. Sect. 2. in Scorbuto denique rad. Armoratiæ cum ſero lactis Barbette Pract. l. 4. c. 3. Quemadmodum curioſiſſimum ſimul eſt, quod de Grœnlandia Thomas Bartholinus Act. Med. Ann. 1671. & 1672. O. 9. ex peregrinantis cujus relatione annotat; Cochleariam ſcilicet & Acetoſam in Urſorum greſſus impediant, his igitur herbis Rhangiferorum, vel avium brodium cum ptiſana factum condire incolas, & habere ſic alimentum medicamentorum ſcorbuto ibi locorum Endemio debellando aptiſſimum: non ſeparandas autem eſſe plantas, quas Natura conjunxerit, & in qualitate intermedia ex utriusque mixtione reſultante verum quaſi morbi antidotum repoſuerit. Hæc Bartholinus! Nolo de Febribus intermittentibus, quarum mira ſæpe ſpecifica vulgus profert, hac vice dicere. Venio potius ad morbos magis particulares, quos obviis pariter non raro ſublatos, fidi Obſervationum conſignatores ſatis teſtantur.

Sic

Sic contra Vertiginem commendat Decoctum rad. primulæ veris Joh. Rajus Catalog. ſuo Plant. Angl. ad Tinnitum aurium panem recens coctum Hartmannus in Prax. Chym. in Odontalgia rad. Lapathi acuti Foreſtus O. 6. l. 14. in Ophthalmia nivis globulum Bartholinus de niv. Uſ. c. 25. in Surditate Aquam Card. bened. rite cohobatam Crato l. 4. Conſ. 2. & l. 2. Conſil. 5. in Hæmoptoe Amyli Decoctum Riverius O. 11. Cent. 4. in Ictero Betulæ Succum Solenander Conſ. 10. Sect. 3. in Hydrope aquam calcis vivæ Fabricius ab Aquap. part. 1. Chir. c. 54. it. herbam Ceterach Borellus Cent. 2. O. 53. Et quid non effici poſſe teſtatur in Melancholia hypochondriaca Fumariæ pulvere Hartmannus Prax. Chym? Hyperico in lumbricis Th. Bartholinus Act. Med. Ann. 1671. & 1672. O. 40? in Hæmorrhoidum dolore Scrophularia Henr. ab Heer O. 20? in Dyſenteria pomo cera repleto, & aſſato Valeriola O. 4. l. 3.? in Colica cum Diarrhœa ſesſione ſuper incudem calidam Boyle l. de util. nat. phil. part. 2. Sect. 5. c. 14? in eadem avena in Sartagine frixa Caſp. Hoffmannus Conſ. 14. l. 3. Conſ Crat? quemadmodum ordinarium, & nunquam fallens ruricolis ſuis anticolicum, ex pulvere rubricæ fabrilis cum cereviſia calida hauſto conſtare, quidam Verbi Divini Miniſter mihi retulit. Prolixus eſſem, ſi mulierum porro morbos recenſere

vellem,

vellem, & oſtendere, quià Aqua v. g. charybeata in ſuppreſſione menſium, in ſtrangulatu uteri ovum conquaſſatum; anguillæ hepar in partu difficili, in torminibus ab eodem Decoctum fl. Chamomillæ, in fœtu denique mortuo expellendo ſtercus equinum cum Vino expreſſum præſtiterint ſæpe, & præſtare poſſint? de quibus videri alias merentur Fontanus Analect. c. 15. Mercurialis l. 4. de morb. mulier c. 21. Boyle l. 2. de Util. Philoſoph. Exp. c. 18. Sect. 5. Foreſtus O. 75. & 81. l. 28. & Hartmannus Pr. Chymiatr. c. de part. diff. Hoc ſaltem addam, hominem ſæpe ipſum pro Medicina obvia ſibi ſufficere, & Theſis noſtræ veritatem ſic comprobare. Ne enim de humani lactis præſtantia in morbis tum tabificis, tum Arthriticis, de jejuni hominis ſalivæ ad Serpiginem præſertim curandam decantato à Practicis uſu multa afferam; quæ non vel ſolius urinæ in abigendis plurimis affectibus Autorum extant elogia? ſic unicum, cæteris non conferentibus, anticolicum in impubis pueri lotio calide exhibito ponit Zacutus Luſitanus Prax. admir. l. 2. O. 25. Et quantum in lotio proprio tam interne quam externe adhibito ad Hepatis, & Lienis obſtructiones lateat præſidium, ſatis probat Doctiſſimus Solenander Conſ. 12. Sect. 1. Nec poſſum non lepidam hic annectere hiſtoriolam, quæ certe patebat, quantum in tenuis fortunæ homini-

minibus tenuia interdum & nullo negotio acquirenda quoque valeant? Tradebatur curæ meæ Vigil quidam, Vir ſeptuagenario major, ſed robuſtæ conſtitutionis: incurrerat is ex gravi in dorſum lapſu graviſſimos circa os ſacrum dolores, cum convulſionibus vehementisſimis, urina cruenta, obſtructione alvi, &c. Adhibitis clyſtere, V. S. & cæteris in ſanguinem coagulatum directis medicamentis, remanebat artuum lateris dextri paralyſis. Ordinabam cum fructu pro frictione harum partium Decoctum Salviæ & Origani cum Mithridatio, cujus proin iterationem cum urgerem, res anguſta domi ſtatim opponitur. Subſtituo fortem frumenti ſpiritum, eumque ad continuandam membrorum frictionem commendo: patiens afferendum curat deſtillatum, ſed cum pro interno uſu hic liquor magis ipſi arrideret, illum ebibit, propriamque urinam pro externo iterum ſubſtituit, eo quidem cum ſucceſſu, ut rediret membrorum motus, & priſtina cum motu ſanitas. Plura talia vel ex celeberrimorum Practicorum multiplici penu, vel propria etiam Experientia obſervata, adducere poſſem; ſed quid in re in aprico poſita ulteriori illuſtratione opus eſt? Saltem cautelæ loco hoc adjungam, nemini me Autorem eſſe velle, ut enumerata hæc, & ſimilia magno numero paſſim annotata, indiſtincte, & ſine prævia cauſæ morbificæ cognitione

â Medico demum expectanda, ad uſum transferat; ſiquidem; qui hoc fecerit, næ Andabatarum is more cum ſuo ſæpius pugnabit morbo, &, ubi ſalutare nitetur afferre remedium, toxicum propinabit. Ad uſum hujus tractationis nunc me converto, eumque ſequentibus porro ſiſto.

USUS.

Spectandam ſeſe hic præbet

PARSIMONIA, eaque, cum ſumtuum Medicorum moderationem injungat, potiſſimum Medica. Equidem ad Parſimoniam in genere conſideratam Divino præcepto obſtringimur omnes, ceu patet Marc. 8. v. 8. Joh. 6. v. 12. & alibi; ad Parſimoniam vero Medicam præ aliis Medicus, cui ex dictis clarum eſt, vulgaribus, nullo aut exiguo labore paratis, & hinc euporiſtis medicamentis multos feliciter expugnari morbos. Qui igitur Medicus conſcientiæ ſuæ curam gerens, quod levi poteſt præſtari opera, id pretioſo moliretur apparatu? quod ab oculis cancrorum v. g. expectandum, id perlis intenderet, aut aliis magnis ſumtibus hinc illinc conquiſitis? de quibus ſæpe vera ſunt, quæ Excellentiſſimus Rivinus, Lipſienſis Academiæ

Ornamentum, Cenſur. ſuæ medic. Off. c. 5. §. 4. graphice proponit, dicens: *Si pretioſa ideo forent talia, quod efficaciora, nihil monerem; quoniam vero efficaciora putantur, quia pretioſa, non poſſum non æſtimationem hanc pro vere ſuperſtitioſa declarare.* Ne dicam, plurimorum ægrotantium loculos non ferre remedia ſumtuoſa, quorum vero & crumenæ & ſanitati conſuli poteſt euporiſtis. Et ſane tum in ſacra, tum profana hiſtoria hæc à Medicis, aut Medicorum munere fungentibus obſervata, reperio. Quid enim v. g. erat, quo Eliſæus Propheta aquarum Hieruntkarum noxam corrigebat? Sal erat, 2. Reg. 2. v. 21. quo toxicam Decocti Colocynthidis amaritiem emendabat? farina erat, ibid. c. 4. v. 41. quo Naamanum leproſo liberabat morbo? ablutio cum aqua Jordani erat, ibid. c. 5. v. 14. Quid quoque erat, quod Eſaias Propheta Anthraci Hiskiæ Regis feliciter admovebat? emplaſtrum è ficubus paratum erat, Eſ. 38. v. 21. Quamvis enim hæc, & ſimilia ab ipſo Salvatore poſtea interdum in curis ægrotantium adhibita non tam ſanitatis recuperandæ proportionata, ut ita dicam media, quam reſtitutæ ſigna, vel ſymbola fuerint; monſtrare tamen hac ratione Viros Divino afflatos ſpiritu voluiſſe, perinde Deo eſſe, ſive per pretioſa ſive ubivis obvia vim Verbi ſui manifeſtare, quid vetat dicere? Saltem præſtantiſſimi omnis ævi Medici

hanc

hanc à Deo quidem vulgariſſimis ſæpe rebus conceſſam efficaciam agnoverunt & parſimoniæ hinc Medicæ laudem ſibi acquiſiverunt. Et talem fuiſſe Reinerum Solenandrum, ex Ejusdem verbis ſatis liquet, quando, cum turturem cera infarctum & coctum contra Diarrhœam graviſſimam commendaſſet, hæc ſubjungit: *ego delector id genus euporiſtis, atque diligenter ea obſervata annotare ſoleo*; ecu in Sect. 4 Conſ. 9. in gratiam Nobiliſſ. Matronæ, Ilſæ à Schulenburg pro quodam docto ægrotante. Brunſvicenſi conſcripto hæc teſtatur. Talem etiam fuiſſe Franciscum Joelem, Gryphisvaldenſis Acad. Profeſſorem, ex Praxi Ejus apparet, *hoc nomine* (utor verbis B. Conringii in Introd. in Art. Med.) *potisſimum commendanda, quod vulgaria remedia, quorum ipſe magnam experientiam habuiſſe videtur, maxime detegat, adeoque pauperibus, & minus lautæ fortunæ hominibus ſummopere inſerviat.* Sic de Henrico quoque Smetio refertur, in more eum habuiſſe, ut tenuioribus ſimplicia præſcriberet medicamenta, quæque ipſimet ſine ullo ſumtu ex pratis hortisve ſibi parare poſſent. Et qui tandem Jacobi Theodori Tabernæmontani, Medici Heidelbergenſis, & ab inſigni Opere ſuo Botanico immortalitatem nominis dudum adepti, Exemplum hic prætercam? Certe ſi ullus alius, hic medicamentis ſimplicibus & domeſticis contentus fuit, præter

Theriacam & Mithridatium paucisſimis exoticis proinde uſus. Nam, ut aliam nobis naturam, & temperamentum, quam Arabibus, Indis, ac transmarinis hominibus eſſe conſtat; ſic & Deum herbis noſtratibus, & aliis terra noſtra naſcentibus, vires noſtris corporibus commodas & familiares indidiſſe, ſtatuit; idque multis ſe experimentis didiciſſe, inter alia autem, cum in Obſidione Metenſi στρατιάτρον ageret, in qua magnam apud multos iniit gratiam, quos globis ſelopetorum trajectos Artemiſiæ pulvere feliciter curavit. Scilicet εὐποϱίστοις, & facilioribus potisſimum uſus multos graviſſimos morbos depulit; eaque re tantum abeſt, ut officinis obfuerit, ut potius profuerit, dum frequentius etſi minoris uſitata, quam neſcio quæ ignota, transmarina, & ex altero usque Orbe importata divenderunt. Memoranda vero inter Virtutes hic porro venit

GRATITUDO ERGA DEUM; Virtus ſi ulli alii, Chriſtiano etiam Medico certe convenientisſima. Etenim, unde rectius recenſitas hactenus tot herbarum, cæterorumque remediorumque facultates, niſi â Deo, hujusque Benedictione is deduxerit? Tollatur hæc de ſole, nec lucebit; de Aqua, nec humectabit; de pane, nec nutriet; de medicamentis denique, & irritus erit omnis ſive Galenica ſive Chymica admoventium conatus. *Miniſter ego fui* (verba

ba

ba ſunt Timæi â Güldenkle in devotisſima Operum ſuorum Dedicatione ſic exclamantis) *Tu DOMINUS: Organon ego, Tu OPIFEX: plantavi, rigavi, Tu incrementum dediſti: quotquot enim ſanati ſunt, Tua ope ſanati ſunt; nihil hic PANACÆA, nihil DICTAMNUS, niſi Tua interveniente Gratia profuit.* Æquiſſimum vero, â Medico, qui Divinam hanc Gratiam plenius cognoſcit, gratisſima eandem mente volvi, & revolvi, & ne iterum excidat (uti facile benefacta excidunt) cum Pſalmiſta ſubinde vellicari aurem: *Benedic Anima mea Jehovæ, & ne obliviſcere omnes retributiones Ejus,* curis nempe in Petro vel Paulo feliciter abſolutis, præſtitas, Pſalm. 103. v. 2. Æquisſimum porro, imo ſine ingrati animi crimine non prætermittendum, ut conceptæ in Corde grates ore ſæpius proferantur, &, quoties Artis ſucceſſus perſentiscitur, is ad Deum aut propria, aut aliunde petita formula Euchariſtica quaſi reducatur. Nec inconcinna eſt, quam Jacobus Horſtius in ſæpius laudatis Precat. Med. piis Exemplo Tobiæ ſenioris ſic proponit. *Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſecula Regnum Tuum, quoniam Tu flagellas, & ſalvas, deducis ad inferos, & reducis, & non eſt, qui effugiat manum Tuam. Confitemini Domino, & in conſpectu omnium gentium laudate Eum, quoniam ideo afflixit morbis, & ſanavit, ut vos enarretis mirabilia*

Ejus, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus Omnipotens præter Eum. Ipſe caſtigavit nos propter iniquitates noſtras, & Ipſe ſalvavit nos propter miſericordiam ſuam. Aſpicite ergo, quæ fecit vobiscum, & cum timore, & tremore confitemini itaque peccatores, & facite juſtitiam coram Domino, credentes, quod faciet vobiscum miſericordiam ſuam. Ego autem & anima mea in Domino Deo lætabimur. Benedicite Domino omnes Electi Ejus, agite dies lætitiæ, & confitemini Illi, Anima mea benedic. Domino, Amen. Mentio in hac precum formula inter alia etiam fit juſtitiæ coram Domino peragendæ, ſeu rectorum, quibus ſalvifica fides ſeſe exſerit, Operum. Et ſane magna gratitudinis erga Deum quoque pars, imo grati animi complementum tum demum perſolvitur, quando mandata Ejus obſervamus, & nos ipſos ſic in *hoſtiam viventem* Rom. 12. v. 1. Deo immolamus. Omnes omnino, & Medicum quidem Chriſtianum decentes Virtutes, deduci hinc nunc poſſent; ſed cum plurimæ jam expoſitæ, quædam etiam ſuo loco reſervandæ reſtent, paucas tantum, quibus Gratitudo erga Deum declarari quoque poteſt, hic delibabimus. Eſt vero talis.

TACITURNITAS, quæ, ut debitum linguæ, *in cujus manibus mors, & vita*, Prov. 18. v. 21. moderamen expoſcit; ſic peculiariter illorum, quorum reticentia cum amore Dei, vel proxi-

proximi, vel publicæ etiam rranquillitatis non pugnat, fidum commendat ſilentium. Conveniens ergo utique tum cuivis Chriſtiano, ceu videre eſt Prov. 10. v. 19. 21. v. 23. 29. v. 11. Syracidi 27. v. 17. 28. v. 28. & 29. &c. tum Medico præſertim Virtus! quem præterea non fugit, quantum in legitima ejusdem obſervatione ſibi ipſi, propriæque Arti ſitum ſit. Ne enim, â freno, quod linguæ non ſolum cum pudendo, ſed & labiis commune Anatomici nunc deprehendunt, neceſſitatis hujus argumentum, capiam; valde hoc familiare, imo fere ordinarium in ægrotantibus eſſe, conſtat, ut aut morbo remittente, aut diutius etiam protracto aperti fiant erga Medicum, inque ſinu Ejus arcana ſua, quæ aut vitam anteactam, aut cognatorum mores, aut lites denique cum aliis contractas concernunt, deponant. Quod ſi igitur hæc, & ſimilia, temere iterum propalare, vellet Medicus, nonne operibus Artis obicem ſic ipſe poneret, ſeque odioſum vel hoc nomine redderet? Inter virtutes igitur Medici proprias omni tempore relata Taciturnitas. Cumque ipſa Medicina Ars muta vel ex eo audiat, quod opera ſua ſine magno externo ſtrepitu perficiat, non tam verbis, quam herbis rerum ſuarum ſatagere conati ſunt fidi quivis Ejusdem, Aſſeclæ, juxta tritum illud:

Herbis, non verbis Medicorum eſt pellere morbos. Difficilis tantum non minus, quam neceſſaria Virtus! adeo, ut Pambo Eremita in diſcenda ea (diſcebat autem ex verſ. 1. Pſalm. 39.) 19. annos conſumſiſſe dicatur. Precibus ergo â Patre Luminum exoranda! idque, ſi placet, verbis iterum Horſtii, ſic orantis: *Domine Deus Omnipotens, Tu me ad munus viſitandi, & curandi ægros vocaſti. Fac, ut omnia, quæ inter curandum videro, audiero, imo etiam ad medicandum non adhibitus in communi hominum vita cognovero, ea, ſiquidem efferre non contulerit, taceam, & tanquam arcana apud me contineam, & mihi ſoli ad mortem usque ſecreta conſervem, quia non modo Chriſtiana charitas, ſed & juramentum meum hoc poſtulat. Da quoque, ne lingua mea ſeſe præcipitet, ſed ut præmeditate ea, quæ ad gloriam Nominis Tui Divini, & utilitatem proximi faciant, dicat, atque promulget, Amen.* Eſt vero talis etiam Virtus

VERACITAS, aureus ille Cordis, & Oris, ſeu, ut alii rem exprimunt, dicendorum cum rebus mente conceptis Conſenſus. Scilicet non ſolum ipſe Deus eſt verax in verbo, & promiſſionibus ſuis, uti patet Num. 23. v. 19. Joh. 17. v. 17. 2. Corinth. 1. v. 20. & Hebr. 6. v. 18; ſed & paſſim hanc Virtutem ab hominibus exigit, ceu Pſalm. 34. v. 14. Zachar. 8. v. 16. Epheſ. 4. v. 25. & alibi id pariter liquet. Quid igitur rectius, niſi

niſi ut, qui Deo placere cupit, Veracitati ſtudeat, illamque, quoties opus geſtu, ore, factisque exerceat? Dico, quoties opus. Neque enim, dum hanc Virtutem aſtruere conor Taciturnitatem iterum deſtructam velim. Licet enim utique, ſi nimirum vel publica, vel privata proximi ſalus id exigat, veritatem quandoque celare. Sic non improbandus, ſed plurimum potius laudandus ille apud Thonerum Medicus fuit, qui Principem ſuum dato cæquo Ipſius pulvere, quo omnes Principis cibos clanculum condiret, feliciter reſtituit, amplo idcirco à Principe, ubi hæc reſcivit, ſoſtro remuneratus; teſte laudato Autore O. Med. l. 3. c. 5. Nec hodieque peccare arbitror, qui in viſa ægrotantibus vel morborum, vel medicamentorum nomina tantisper cum aliis, ſed veris commutant. Sic qui Scorbutum magni & moleſti, Arthritidem articularis cujusdam morbi nomine tractat, nec fallit, nec fallitur. Nec à vero aberraret qui ægrotantis ſalute ſic poſcente Laudanum, Extractum antodynicum, Antimonium diaphoreticum Magiſterium ſtibiatum, Mercurium dulcem Argyrchydrum ſacharinum, Tartarum emeticum ſpecificum anotericum &c. vocare in formulis mallet, ceu Roſinus Lentilius Miſc. Med. Pract. part. 2. pag. 355. pluribus hæc deducit. Quicquid interim ſit, magna demum & hæc Chriſtiano Medico laus eſt, æqualem & parem verbis vitam agere, ſimplicitatemque

Cordis

Cordis & dictis & factis ubique declarare. Et quamvis magna hujus generis omni tempore fuerit parſimonia, reperti tamen & tales, qui præclaræ hujus Virtutis ſtudio aliis præluxerunt. De Euricio Cordo, quem Poëtam ſuperius jam citavimus, refertur, eum veritatis admodum ſtudioſum, neque eo quemquam, qui pejus odiſſet mendacia ac vanitatem, fuiſſe. Sic Jacobus Bordingus, qui Diligentiæ quoque, & Sobrietatis jam nobis Exemplum præbuit, â fide notatur ſingulari, quam in omnibus tum dictis tum factis conſtanter ſervavit; nihil homini turpius eſſe ducens, quam prolixe multa polliceri verbis, re autem ipſâ nihil, vel parum præſtare. Quibus merito Paulum Lutherum, magni Lutheri Filium, duorumque Saxoniæ Electorum Archiatrum annumero, qui ut ab omni adulatione & aſſentationis crimine fuit alieniſſimus, ſic prorſus retuliſſe illum Euripidis Rheſum legitur, qui in Tragœd. ita de ſe:

Τοιοῦτός εἰμι κ' αὐτὸς, εὐθεῖαν λόγων
Τέμνων κέλευθον, κ' οὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ.

Pertinet huc etiam

HUMANITAS, quæ deſcribi poſſet, quod ſit Virtus id præſtans, ut erga quosvis homines communi cognationis ſenſu tacti benevole afficiamur, iisque tum verbis tum factis utiliter & honeſte placere ſtudeamus; & proin ſecundum Ethicorum recentiorum doctrinam

&

& Hoſpitalitatem, & Comitatem, & Affabilitatem, & Officioſitatem complectitur. Ipſe Deus, ſi vocis originem ſpectes, eſt φιλάνθρωπος; quemadmodum talis permultis ſcripturæ locis, potiſſimum Deut. 33. v. 3. Pſalm. 106 & 107. v. 1. 1. Timoth. 11. v. 4. Tit. 3. v. 4. deprædicatur. Quid igitur æquius, quam ut homo humanum ſe præbeat homini, & quod ſibi hac in parte vult fieri, idem & proximo, cum quo naturam & reliqua communia habet, exhibeat? Æquum igitur, imo maximè neceſſarium, ut & Medicus, qui cum cujuscunque fortunæ hominibus, ſummis, imis, proceribus, civibus, feſſis, ægris, & ultima quæque metuentibus converſari debet, humanitati ſtudeat, morumque hac ſuavitate multarum rerum in Praxi occurrentium auſteritatem ſic quaſi condiat. Agnoverunt ſane hoc præſtantiſſimi ſemper Medici; & nihil proinde ſibi prius, aut poſterius eſſe duxerunt, quam ut hanc quoque Virtutem inter ſuas numerarent. De Jacobo Zwingero, qui diverſarum Virtutum nomine jam nobis innotuit, conſtat, eum comem erga quemvis, etiam infimi ſubſellii homines, fuiſſe. Sic Joachimus Vadianus, alias de Watt dictus, Civitatis Sangallenſis & Medicus & Conſul, uti cum Medicina Theologiæ ſtudium feliciter conjunxit, ſic moribus & cultu perhumanus fuiſſe, perhibetur, adeo, ut nemo non illius conſuetudine delectaretur. Simile

ſimile quid de Johanne Langio, 4. Electorum Palatinorum Archiatro celeberrimo literis proditum. Quemadmodum peculiariter ab hac quoque Virtute extollitur Johannes Schenckius à Grafenberg, Friburgi Brisgaviorum Medicus, Senecæ illud in Thyeſt referens;

Læta Viro gravitas, & mentis amabile pondus:
Et ſine triſtitia Virtus: non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat:
Nec famam lævo quærebat limine vitæ.

Sique ad Humanitatem referenda quoque Hoſpitalitas, magna certe hæc Virtus erat in Conrado Geſnero, Tigurenſi illo, & Caſtitatis jam nobis titulo celebrato Medico, cujus domus omnibus ſemper peregrinis, præcipue literatis patebat, quorum plures ad illum quotidie confluebant, alii ut ipſum viderent & noſcerent, alii ut aliquid rarum & ſpectatu dignum apud eundem reperirent. Et quis denique putet immortale illud Academiæ Baſileenſis & Germaniæ Decus, Felicem Platerum, ſine hac Virtute omnium adeo favorem ſibi comparare potuiſſe? Teſtatur ſane de eo egregium, inque ſempiternam Viri memoriam erectum Monumentum ſequens:

D. O. M. S.
FELIX PLATERUS
ARCHIATER BASILEENSIS,
URBI

URBI ET ORBI GRATISSIMUS,
CUI
VIRTUS GLORIAM,
GLORIA IMMORTALITATEM
COMPARAVIT,
ANIMI ET CORPORIS BONIS PRÆDITUS,
OMNIUM DISCIPLINARUM COGNITIO-
NE INCLYTUS,
PRÆCIPUE REI MEDICÆ ADEO PERITUS,
UT EXEMPLUM DESIT:
PROFUIT, QUIBUS PRÆFUIT,
OBFUIT NEMINI:
ACADEMIAM PATRIAM
NON MINUS VIRTUTUM SUARUM EX-
EMPLO,
QUAM BENEFICIIS HONESTAVIT:
POSTQUAM
IN TERRIS, UT COELO FRUERETUR,
ESSE DESIIT,
EXUVIAS CARNIS, ET QUICQUID MOR-
TALE HABUERAT,
HIC POSUIT.
NUNC VERO
PROMISSIONES TUAS
DOMINE JESU CHRISTE
EXPECTAT.

Atque ſic tum verbis, tum re ipſa, gratum erga Deum ſe exhibebit Medicus. Neque vero pro

pro ſe ſolum hoc faciet, ſed & convaleſcentibus, ut ſimiles in grati animi teſſeram Deo ſuſpendant tabulas, Autor erit. Qua occaſione non poſſum non nexum quendam Poeticum, ex ipſo Sanitatis vocabulo mihi quondam natum, & verum reſtituti in ſanitatem hominis Deo quidem debitum ſoſtrum complectentem Coronidis loco inſerere; eſt autem talis;

Sanitas
per anagramma,
Sit anſa.

Sanitas Dos eſt memoranda Jovæ!
Non Eam ſummus vel apex honoris,
Non opes æquant, poſitique in amplo
Fœnore nummi.
Aſt bonum haud fruſtra ſupero â Datore
Conditum, & quo pro lubitu fruaris
Sanitas! eſt hæc, probitatis ut *ſit*
Anſa perennis.
Anſa ſit Jovæ faciem timendi,
Huncque præ cunctis reliquis amandi;
Arbitrum ſummum! cui rite poſſis
Fidere ſoli.
Anſa ſit rebus placidum invocandi
Numen anguſtis; meliore fato,
Præſtitam qua mox celebres fideli
Pectore Dextram.
Sabbatum tandem ſolitum colendi,

Templa

Templa viſendi, docilique ſummi
Aure ſcrutandi patefacta Jovæ
Mera *ſit anſa*.
Proximum poſt hæc pariter reſpectet
Sanitas! hic prima ſibi Parentes
Vendicant: hoc ergo decet vereri,
Fas & amare.
Anſa ſit quosvis ope ſublevandi
Sanitas; caros modo non amicos.
Aſt & adverſos placido fovendi
Pectore ſemper.
Anſa ſit puræ quoque Caſtitatis,
Geſtibus, dictis, varie exſerendæ;
Nec minus pulchræ, medico & repletæ,
Sobrietatis.
Anſa mandati quoque *ſit* laboris;
Proximum quo ſic liceat juvare
Indigum, & ſemper miſero benigna
Suppetat Iro.
Proximi famam neque deſpicare;
Hancque cum ſentis ſine jure lædi,
Sanitas illam pariter tuendi
Promta *ſit anſa*.
Conjugem, & quæ non Tibi jure ſummo
Competunt, unquam Tibi nec requires;
Quin hero cuncta hæc maneant ut æquo,
Ipſe ſtudebis.
Et brevi! haud vitæ vitiis onuſtæ,
Aſt piæ, juſtæ, ſceleriſque puræ,

Sanitas, membris Tua dum vigebit,
Anſa ſit usque.

THESIS III.

Contingit contra, ut, ubi eadem Pharmacia locum invenit, ſelectis, multa arte concinnatis, & hinc pretioſiſſimis ſæpe medicamentis in caſſum laboremus.

PROBATIO.

SCilicet & hoc non raro evenit, ut Medico apta medicamenta cum Diæta præſcribente, & ægrotante quoque cum aſtantibus obtemperante, nihilque eorum, quæ ad morbum profligandum ullo modo facere poterant, intermittente, morbus tamen perſeveret, & vel morti ægrotantem tradat, vel ad mortem usque eundem comitetur. Et cauſas quidem hujus rei, easque phyſicas, ſi diſpicias, variæ illæ omnino poſſunt ſubeſſe; quas tamen omnes ad duas claſſes reduci commode poſſe, arbitrer. Nimirum, ubi tale quid accidit, aut cauſarum morbificarum peculiaris plane nullaque humana arte emendabilis ſubeſt ratio; aut talis eſt partium affectarum conditio, quæ applicationem medicamentorum in ſe optimorum (neque enim integritati horum vel tantillum ſic detractum velim) mani-

manifeſte impediat. Quod primum attinet, referendi huc morbi ab ortu, innatumque ſic partium Organicarum vitium pro cauſa agnoſcentes; quales ſæpe ſunt Cæcitas, Strabiſmus, Obmuteſcentia, Surditas, Affectus quidam Uterini, menſium ſc. defectus, & ſterilitas, cujus quidem occultas plane cauſas, nullamque omnino curam admittentes part. tr. hujus 2. jam adduximus, &c. Pertinent huc quoque & alii partium ſolidarum morbi, iique vel à cauſis violentioribus externis, vel etiam internis, inducti; quales v. g. ſunt Cerebri ſphacelus, Cæcitas vel ab Albugine inveterata vel panno, Obauditio à rupta membrana tympani, Hydrops confirmatus, & corruptionem Viſcerum jam à tergo habens, Paralyſes ab abſciſſo nervo, à dilaceratione fibrarum ſphincteris, Urinæ incontinentia, & ſimiles, quorum certe morborum curam ſi quis ſuſciperet, is actum ageret, &, quod in proverbio eſt, ſine ſpe prædæ in ſcopulo moraretur. Spectant huc & ipſa humorum corporis noſtri vitia; quæ tanta ſæpe ſunt, ut aut ea non attingere præſtet, aut, ſi attingere medicamentis velis, jam de ægrotantis vitæ actum ſit. Prius videmus in Tumoribus Cancroſis, Noli me tangere idcirco Practicis dictis, quorum cauſa medicamentis ſaltem adeo inemendabilis, ut, ſuadente id jam Hippocrate Aph. 38. l. 6. confirmante quoque id ipſum multiplici Experientia, eos non curare ſatius ſit, *cum*

(ſunt verba ipſius Coi) *curati ſubito intereant, non curati vero diutius vivant.* Poſterius in febribus pariter malignis & peſtilentibus patet; quarum venenata ſæpe adeo cauſæ qualitas, ut, ubi quam maxime Medicus accerſitus remedia admovere intendit, lethalia jam, nullaque humana induſtria revocanda ſymptomata malignitas produxerit. Referas denique ad hanc quoque claſſem morbos quosdam peculiares, peculiariter idcirco à Practicis etiam annotatos, quorum cauſæ contumacia vel inde ſatis patuit, quod locum ſemel occupatum pertinaciſſime cuſtodiverint. Deſcribit tales in doloribus quibusdam exili loco & foco comprehenſis, incurabilibus tamen, Pechlinus O. Phyſ. Med. l. 3. O. 53. Et notatu ſane digniſſimus Caſus, quem de Paralyſi Palpebrarum in Viro illuſtri, quæ tamen præſtantiſſimorum illius temporis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ Medicorum Conſilia eluſit, Timæus â Güldenklee ſub initium Epiſt. ſuarum Medicinal. recenſet. Niſi & τὸ Θεῖον in his, & in ſimilibus morbis, accerſere quis velit; de quo in peculiari libro egit Hier. Jordanus, Göttingenſis quondam Phyſicus. Sed & difficilis ſæpe medicamentorum redditur applicatio! idque ratione partis affectæ; cujus aut ſitus, aut intrinſeca conditio talis eſſe poteſt, ut debita pharmacorum applicatio, eorumque ſic operatio, hinc impediatur. Quod ſitum attinet, in ſcenam prodeat malum Iſchiadicum,

dicum, affectus in ſe quidem & ſua natura ſatis, ut credo, rebellis, ſed cujus contumacia difficili remediorum applicatione ab ipſius affectæ partis ſitu nata mirum quantum intenditur: quæcunque enim interna exhibueris, eorum vis, antequam ad partem affectam perveniant, multum plerumque fracta & debilitata; Topica vero quo minus penetrent, vaſta carnium moles, quæ, ſi ullibi, hic certe occurrit, quid mirum ſi impediat? Et fruſtra hinc, præſertim in ſenſibus, ubi tardius vel ætatis ratione ad actum medicamenta deducuntur, tot non ſolum diſcutientia & ſudorifera fortiora, ſed etiam tot linimenta, unguenta, emplaſtra, & neſcio quæ non alia, uſurpari videas. Quod intrinſecam quarundam partium conditionem ſpectat, næ illa quoque, dum debitam medicamentorum applicationem, eorumque ſic effectum impedit, morbos reddit incurabiles. Exemplo ſunt Veſicæ urinariæ, ejusque fundum præſertim penetrantia Ulcera; quæ ſane tum ob membranoſam partis ſubſtantiam, quæ ægerrime coaleſcit, tum urinæ acrioris fluxum, qui medicamentorum operationem manifeſte inhibet, curationem non admittunt; quemadmodum Heurnius Enarr. in Aph. Hipp. 6. l. 6. dum ſiccationem & otium in ulcerum curatione requirit, id deducit. Neque aliam ob cauſam ipſa Phthiſis confirmata morbus adeo deſperatus Practicis audit; cum vel ſo-

la perennis illa pulmonum agitatio neceſſariæ hic ulcerum conſolidationi obicem ponat. Ut ex vero ſic, & plane ad rem Timæus à Gülden-klee, Vir certe Experientia Medica inſignis, loquatur, quando Ep. 2. l. 2. Epiſt. ſuarum Med. poſtquam ſolitorum ibi Anti-phthiſicorum inſufficientiam ſolide demonſtraſſet, graphice tandem ita concludit: *Hinc fruſtra tot Syrupi, tot Decocta, Conſervæ, Electuaria, Rotulæ, Eclegmata, Looch, & neſcio quæ non pectoralia, pulmonica, antiphthiſica &c. ægris præſcribuntur, quorum uſu tonus Ventriculi, & reliquorum viſcerum ſubvertitur, appetitus dejicitur, bilis, cum pleraque dulcia ſint, coacervatur, calor intenditur, ipſaque tandem mors acceleratur. Laudat pulverem ſuum Haly Abbas, Paſtillos Paſio, Syrupos Meſue, Looch Rhaſes, Conſervas Avicenna, Tragæas Langius, Aquas pectorales Dornereilius, Pancraticum vegetabile, & Brodium radicis Occidentalis Freitagius, & ſexcenta alia alii. At horum omnium uſu nunquam non deludimur. Jactitant Antimonium, & Sulphur ſuum, & quæ ex his parantur, Balſama, Lac, Tincturas, Flores, & id genus alia Chimici; commendant & vitulorum, vulpium, leporumque pulmonibus, & porcorum ſanguine aquas deſtillatas, Eſſentias, Magiſteria &c. Sed nec hæc famam ſuſtinent, & quomodo ſuſtineant, cum ad partem affectam penetrare non poſſint?* Et paucis interjectis: *De Lacte, quod ſcribit Galenus 3. de med. facult.*

cult. c. 16. & 5. Meth. med. c. 12. 7. m. m. c. 6. & poſt hunc Practici fere omnes, non equidem videtur eſſe de nihilo, quatenus ſeroſitate ſua ulcus abstergere, caſeoſitate conſolidare & aerea, butyroſaque pinguedine tabidum corpus humectare creditur: & quotusquisque Phthiſicorum ſine incommodo illud bibet, cum omnes fere febricitent, vel defluxionibus aut capitis dolore infeſtentur, aut vaſorum obſtructionibus & flatibus detineantur, quæ conditiones uſum ejus omnino prohibent. Et tandem Ep. 4. *Ego, cum nihil intermiſerim, quod ad morbi curationem* (intelligit autem Phthiſin propriæ Conjugis ex pleuritide natam) *quovis modo facere poterat, nec in tota Praxi mea, quam triginta ſeptem annis exerceo, quempiam ulcere pulmonum affectum integræ ſanitati reſtitutum viderim, tandem in eam deveni ſententiam, Phthiſin proprie ſic dictam, quæ cum pulmonis exulceratione conjungitur, humana arte perfecte ſanari non poſſe.*

USUS.

Occaſionem hæc Meditatio variarũ Virtutum exercendarum ſuggerit: inter quas non poſtrema utique eſt

HUMILITAS CORDIS, ſive vera illa ex animo tenuitatis ſuæ conſcio circa honores expetendos nata Temperantia; in qua proinde Modeſtia circa morborum Prognoſin Me-

dico adhibenda, & de qua part. 2. egimus, pulchre radicatur. Quid enim quæſo, hac Virtute prædito magis cordi erit, quam ut non modice ſolum in univerſum de ſe ſentiat, verum etiam, ut ad animi hanc modeſtiam & geſtus, & ſermones, & actiones revocet omnia? Præclara igitur, & hæc in Medico, imo primaria Virtus! micans inter cæteras

- - velut inter ignes
Luna minores.

Anſam vero huic is facile inveniet, ſi ex Theſi circumſcriptos Artis noſtræ limites, & quam parum ſæpe in morborum quorundam curis nobis relictum ſit agnoverit. Eſto enim, *flante Natura* (utor verbis Cl. Tulpii l. 1. O. 32.) *proſpere navigare ægros, & interdum ipſa Duce incredibilia peragere Medicum*: patebit tamen vel ſic, non licere Medico ſemper tam eſſe felici, ſed evenire ipſi non raro caſus, in quibus, ceu Philoſophis, QVANTUM EST QVOD NESCIMUS! ſic & huic, QVANTUM EST QVOD NEQVIMUS! exclamandum ſit. In nihili itaque ſui voraginem hic deſcendet Medicus, &, ubi & tantum in ſuæ Artis rebus inane deprehendit, veræ cordis humilitati tum erga Deum tum proximum ſedulo ſtudebit; & ſponte ruent affectatæ omnes gravitates, quæſitæ proëdriæ, magnifici inceſſus, ad luxum compoſiti veſtitus, verba ampullantia, & quæ ſunt hu-

jusce-

juſcemodi generis alia. Multa hic ex ſacro iterum Codice adducere poſſem & præcepta, & exempla, uno ore hanc Virtutem inculcantia. Sed

Omnia nos Chriſti vita docere poteſt! quod Arndianum B. Parens noſter, M. Johannes Nicolaus Kramerus, fidelis quondam in vinea Chriſti operarius, quotidianum ſuum faciebat. Sufficiat ergo Præceptor ſine Præceptore, & Exemplum ſine Exemplo, Salvator noſter; de quo compertum utique eſt, Eum non præcepto ſolum Matth. 11. v. 29. ſed & exemplis ſerio Virtutem hanc docuiſſe: Profecto enim, niſi vere Is fuiſſet humilis, recens natus non in præſepi ſe collocari permiſiſſet, Luc. 2. v. 7. non Parentum regimini ſe ſubmiſiſſet, ibid. v. 51. non Regiam dignitatem à populo ſibi oblatam recuſaſſet. Joh. 6. v. 15. non diſcipulorum pedes laviſſet, ibid. c. 13. v. 15. non denique ſe ipſum humiliaſſet, *obediens* Deo *factus usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2. v. 8. ut alia multa nunc taceam. Et utinam tantum multos cœleſtis hic Præceptor habuiſſet diſcipulos! Vtinam & inter Artis noſtræ Coryphæos plures omni tempore reperti, qui Divini hujus & Animarum & Corporum Medici veſtigia hac in parte preſſiſſent! Novit tamen & ubique ſuos ſupremus Καρδιογνώστης. Nec forte erravero, ſi inter varias Conradi Geſneri Virtutes & animi hanc ſubmiſſionem recenſeam; qua ipſum non

puduit à ruſticis, & mulierculis, non vulgaria ſolum plantarum nomina, ſed & herbarum in medendo uſum, quem ipſi aut experti, aut à majoribus ſuis accepiſſent, diſcere. Quemadmodum nec reprehendendus ero, ſi ex recentioribus B. Lentilium hic adjungam, qui procul dubio & hac Virtute ductus Miſc. Med. Pr. l. 1. pag. 37. ita de ſe ipſo: *Cum primum hic Nordlingæ* (fuit autem inter alia ibi Phyſicus) *appuliſſem, fama erat, me eſſe Virum peritia & felicitate medicandi Medicos alios multum anteeuntem. Hinc ad me currebant morbis longe deſperatiſſimis per aliquot jam annorum decurſus afflicti, & à me ſanari deſiderabant: poſtea vero, cum viderent, me æque ac alii Medici mortuos in vitam revocare non didiciſſe, pedetentim & fama, quam de me rumor falſus divulgarat, imminui cœpit.* Quin, quod non puduerit Virum ingenuum, ubi, ut ſumus homines, in Praxi nonnunquam impegit, & hoc ſcriptis ſuis inſerere: quod quo animo, & qua intentione fecerit, in Præfat. dict. Miſcell. non uno loco Vir laudatiſſimus exponit. Scilicet non aperte adeo tenuitatem ſuam hi prodiiſſent, ſi faſtu turgidi majorem propriæ exiſtimationis, quam Divini honoris, bonique publici, rationem habuiſſent. Et qui ſuperbiret tandem Medicus, qui Theſis noſtræ veritate convictus & ſibi fatalem, nullisque remediis expugnandum morbum adhuc imminere, intelligit? Eſto ſane,

multis

multis ægrotantium millibus feliciter medicinam is adhibuerit: veniet tamen hora, qua, quæ tot aliis cum fructu præſcripſit, decocta, eſſentias, & ſexcenta alia, in ſe ipſo irrita deprehendet, &, ſi quæ formula tum addenda reſtat, ex Divino præſcripto talis erit:

℞. Corpus Medici,
Carnem,
Oſſa,
Cutem.

Detrudantur in ſepulchrum, Fiat pulvis.

Equidem nullus dubitaverim, quin, qui hæc ſecum diligenter perpenderit, aſſiduisque ſimul precibus pro humilitatis dono Deum fatigaverit Medicus, criſtas demiſſurus, affectuque cordis intimo ſe cunctis ſubjiciens, quantum poteſt, ſit deſcenſurus. Pertinet vero etiam huc

'ΑΥΤΑΡΚΕΙΑ, qua quis ſua ſorte contentus vivit, nec opum idcirco plura, quam neceſſe eſt, appetit. Scilicet & ad hanc Virtutem facile ſe excitari patietur Medicus, ſi ex dictis conſideraverit, ſanitatem eſſe bonum nullo ſæpe argento, auro, gemmisque redimendum; ſique perpenderit, fatalem mortalium horam nullo divitiarum apparatu vel ad momentum protrahi & differri poſſe. Terrena igitur hæc, quorum ſic ad hanc quidem vitam nec ad parvum temporis ſpatium amplificandam uſus ſufficit, magis magisque deſpiciet, & ſi *habeat nu-*

tri-

trimenta, *&* *tegumenta*, his contentus erit; *imo pietatem cum contento animo in lucro magno* reponet, 1. Timoth. 6. v. 6. & 8. Et ſic tutus erit à deteſtando illo πλεονεξίας, ſeu Avaritiæ crimine, quo tantum non maxima hominum pars in temporalis & ſempiternæ miſeriæ barathrum dejicitur, & quod *omnium malorum radix* propterea audit loc. cit. v. 10. Imo, ſic tutus erit à peculiari illo tenacitatis & avaritiæ Medicæ vitio, quo Medicorum multi aut φιλοδοξίᾳ, aut certe φιλαργυρίᾳ ducti, arcana ſua ſupprimunt, nec publicæ illa utilitati conſecrant, cum tamen (ſunt verba pientiſſimi Godofredi Schulzii, Medici Islebienſis in App. Scrutin. Cinnab. fol. 151.) *videndum, annon advigilans conſcientia nos compellat communicare cum aliis, quæ e re bonæ valetudinis vel conſervandæ, vel reparandæ fore certo ſcimus, & quæ Deo nobiscum communicante poſſidemus.* Feliciter, inquam, hos & alios ſcopulos præternavigabit Medicus ſua ſorte contentus, & qui cum Divo Apoſtolo *ſcit humiliari, ſcit etiam abundare: in omni, & in omnibus inſtitutus, & ſaturari, & egere; & abundare, & defectum pati*, Philip. 4. v. 12. Quo ſane nomine multum laudandus Wolffgangus Meürerus, Med. quondam Prof. Lipſienſis, qui, teſte Ipſius Biographia, adeo Virtutem hanc coluit, ut excelſo hinc animo plures ad ampliſſima munera perveniendi occaſiones ſpreverit; negans,

ſe

ſe alterius eſſe velle, cum ſuus eſſe poſſit. Nec aliam Sebaldo Havenreutero, quem prudentum, ſolertiumque Medicorum numero jam adſcripſimus, mentem fuiſſe, vel eo ſatis declaravit, quod à tenuioris conditionis, atque fortunæ civibus parum, à Studioſis pauperculis, aut aliis literatis nihil plane noſtri acceperit. Nec ſuo hic encomio iterum defraudandus Joachimus Camerarius, qui, ſi quisquam alius, opum, & divitiarum contemtor fuit; non ſine damno hinc fidejusſionibus ſeſe ſæpius implicans, imo pecunias ſub uſuris nullas unquam collocans. Cognata denique & huic Virtuti eſt

BENEFICENTIA ERGA EGENOS, qua pro modulo acceptarum à Deo facultatum proximi inopiam ſublevare ſtudemus. Dico: pro facultatum modulo. Invenit enim hæc Virtus & in iis locum, qui, cum parum terrenarum opum acceperint, parum etiam inter egenos erogare poſſunt; dummodo, quod ſic erogant, candido id faciant pectore, monente ſic Tobia Seniore c. 4. v. 9. & illuſtrante quoque id ipſum egregia hiſtoria, quæ Luc. 21. v. 1. & ſeq. legitur. Et Medicum quidem quod attinet, is eo lubentius & huic Virtuti operam dabit, quo magis ex dictis quoque vanam opum & divitiarum omnium conditionem, & quomodo nihil tandem ex omni ſua ſupellectile auferre ſecum posſit dives moriens, ſecum

repu-

reputaverit. Quæſtum igitur ſic & in altera vita duraturum hic ſibi, dum poteſt, parabit, & ita collocabit nummos, ut in *æternis* demum *tabernaculis* uſuras, easque nullo tum ære redimendas recipere queat; ceu ipſe Salvator conſilium hoc ſuppeditat Luc. 16. v. 19. Nec etiam defuerunt, qui ſalutari huic Servatoris conſilio inhærentes acceptis â Deo opibus de futuro hunc in modum ſibi proſpexerunt. Erat certe talis multis jam titulis nobis commemoratus Conradus Geſnerus; natura enim is liberalis, & munificus erat: unde, quæ ſibi ſervare, ac rem familiarem inde augere potuiſſet, partim in communem omnium uſum vulgare, partim cum amicis petentibus communicare nunquam deſiit. Nec minori hujus Virtutis laude coruſcavit Johannes Nævius, Electorum Saxoniæ, Mauritii & Auguſti Archiater; qui, cum eſſet ἄπαις, affectum ſuum erga pauperes oſtenſurus, varia ſtipendia Lipſiæ, Wittenbergæ, & Chemnicii (erat enim Chemnicenſis) inter egenos Studioſos diſtribuenda legavit. Fuit quoque talis non ſolum ſæpius jam nobis celebratus Sebaldus Havenreuterus, ſed & Joh. Ludovicus, Filius Ejus, Paternarumque & functionum & virtutum laudabilis hæres: de quo memoria proditum legimus, Eum adeo fuiſſe beneficum, ut gratis ſæpe nonnullis Eccleſiarum miniſtris, quam opulentis cum eximii ſoſtri ſpe medicinam facere

malue-

maluerit. Singulare vero eſt, & omni præconio dignum, quod de Johanne Schrötero, Salanæ Illo Academiæ non ſolum Profeſſore, ſed & Inſtauratore, Principumque Saxoniæ Archiatro refertur, fuiſſe illum Virum vere χρηστὸν, & cui ſemper in votis, quamplurimis prodeſſe; adeo, ut nulla ex re tantam caperet voluptatem, quantam ex ſublevatione ſtudiorum eorum adoleſcentum, quorum conatibus obſtaret res anguſta domi. Scilicet, cum non mortale eſſet, quod optabant Viri quavis laude digniſſimi, conceſſas à Deo facultates in loco ita negligere allaborabant, ut lucrum inde ære perennius, quali quidem procul dubio inter Angelicos plauſus nunc fruuntur, reportarent.

THESIS IV.

Ad Chirurgiam interim, durum licet, efficax tamen medendi genus, vel ipſi ſæpe confugiunt ægrotantes.

PROBATIO.

VEre non minus, quam eleganter Hippocrates l. 8. Aph. 6. *Quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat. Hæc* enim, commentante ſic Johanne van Horne in Prooem. Micro-

crotechn. §. 1. *eſt efficax illa Medicina, qua Herculea quaſi manu, ferri ignisque viribus armata, cuncta ſive externa, ſive interna contumaciora mala proteruntur, & extinguuntur.* A Venæ ſectione igitur, leviori utut Chirurgiæ præſidio, ut initium faciam, quem ejus methodice, & cum judicio adminiſtratæ, in morbis quamplurimis non obſervamus effectum? Teſtantur ſane id affectus à Plethora vel orti, vel aucti, & ſubitam hinc vaſorum depletionem indicantes; quales v. g. non ſolum ſunt febres, internarumque partium inflammationes, ſed & Aſthmata, Hæmoptyſes, Abortus, Iſchuriæ, imo Apoplexiæ, in quibus quid valeat V. S. & quid à nullo alias remedio expectandum præſtet, loquuntur uno ore Practici: ex quibus Riverium Prax. tom. 1. l. 2. c. 1. Ballonium Hiſt. 1. l. 2. Conſil. Lentilium Miſc. Med. Pr. l. 1. p. 77. & Tulpium O. M. l. 1. c. 7. & l. 2. c. 1. & 43. nunc citaſſe ſufficiat. Nec minorem, ubi revulſionis gratia Phlebotomia inſtituitur, quicquid in contrarium etiam hic afferant adverſarii, efficaciam deprehendimus. Exemplo eſſe poſſunt Cephalalgiæ, Phrenitides, Maniæ, Ophthalmiæ, Hæmorrhagiæ, Menſium, Lochiorumque ſuppreſſiones, & id genus morbi, in quibus impetuoſior ſanguinis ad certam partem eſt motus, & in quibus quid V. S. in oppoſitis partibus facta ſæpe valeat, tanquam res apud exercitatisſimos Practicos

in

in confeſſo poſita probatione longâ non indiget. Ne dicam, & Derivatoriam, quæ vocatur, Phlebotomiam, quâ venæ partibus laborantibus aut proximè inſertæ, aut ſaltem cum illis communicantes pertunduntur, eximium ſuum habere uſum; id qvod vel ſola illa ulterioribus deinde Experimentis ſtabilita Experientiſſimi Thoneri Obſervatio, qvam habet l. 4. o. 2, & 4. & quâ duos notabiles caſus curati apertione venarum iſchiadicarum mali iſchiadici recenſet, ſatis confirmat. A V. S. ad Fonticulos, & Setacea me converto. Qvamvis enim duriora hæc tum excitationis, tum geſtationis reſpectu, remedia videantur; ſanitatis tamen, qvod afferunt, commodo qualiacumque illa incommoda abunde ut credo, compenſant. Notum, eſſe illa ulcera artificialia, vitioſis corporis humoribus exportandis deſtinata. Et talem præſtare uſum Fonticulos, talem Setacea, iis præſertim caſibus, ubi tenue, & acre ſerum vitæ, & ſanitati humanæ inſidias ſtruit, Sole meridiano clariùs elucescit. Qvid enim, qvæſo, in Cephalæis, in Paralyſi, in Apoplexiâ, imo in Epilepſiâ ſæpe efficeremus, ni ad manus fonticuli, & ſetacea eſſent? Saltem qvid in ultimo hoc affectu poſſint, vel ſola illa Cl. Tulpii Obſervatio ſatis edocet, ubi recenſitis duobus infantibus manantibus Capitis ulceribus Epilepſiâ liberatis pulchrè ita concludit: *en præeuntem naturam, ô Chirurge; monſtrat ipſa, qvaſi digito,*

 gito,

gito, ſalutarem inuſtorum ulcerum uſum: ex famâ tuâ erit, imo ex uſu ægrorum, ſi hanc ſeqvaris ducem. Proſunt ulcera arthritidi; expellunt lippitudinem, ſed neminem efficaciùs juvant, qvàm morbo comitiali obſeſſos; ceu O. M. c. 8. l. 1. hæc relegi poſſunt. Et ſanè qvantum in oculorum nonnullis affectibus emolumenti afferant; ipſe quondam vidi in virgine, cui oculo altero incipiente Catarhactâ, altero guttâ ſerenâ laboranti poſt exſiccatum bis ſetaceum, & ſemel fonticulum, hic Excellentiſſimi Medici ſvaſu in capite iterabatur, eo qvidem cum effectu, ut præterlapſis vix qvatuordecim diebus gratiſſimam lucis uſuram ea reciperet. Et qvid de Catarrhis porrò dicam? ad qvos derivandos, & â nobili parte revocandos unicum ſæpe præſidium manent Fonticuli. Habui ſub cura in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutum Virum, cui, cum ex levi ſemper cauſa externâ defluxiones acres ad fauces & pectus decumbentes, metumque ſuffocationis aliquoties inducentes incorreret, fonticulum ſvadebam; non poteram primò perſvadere, tandem verò, cum ad percurandum affectum certius medium non extare, fideliter ipſi expoſuiſſem, paruit, fecit ſibi fonticulum poni in brachio ſiniſtro, eo pariter mox oborto emolumento, ut humorem peccantem à pectore qvaſi retrahi animadverteret, vivens etiamnum, qvantum ſcio, à dictis ſymptomatibus immunis. Durius qvoque

que Armamentarii Chirurgici telum Trepanatio eſt; ſed cujus beneficio, teſte multiplici nunc Experientiâ, non ſolùm graves capitis ſub cranio factæ læſiones, ſed & ab internis cauſis inducti morbi, Melancholiæ ſcil. Epilepſiæ, Lethargi, Vertigines, Cephalææ feliciter paſſim expugnantur. Et utinam tantùm, qvales in aliis regionibus dantur, plures & nos haberemus in trepanandi arte verſatos, nomine ſæpe magis qvam re ipſâ tales, Chirurgos! Patet interim tum his, tum ſimilibus à Practicis magno numero annotatis Obſervationibus, non ſine jure efficacis Medicinæ titulum Chirurgiæ competere. Qvid ergò adeo mirum, non ſolùm Medicos, ſed & ægrotantes vitæ aut ſervandæ, aut diutiùs ſaltem ſine minoribus incommodis protrahendæ cauſa, ad illam tanqvam ad ſacram Anchoram nonnunqvam properare? Severior ſanè, imò præſenti vitæ diſcrimini expoſita Operatio & Paracenteſis Abdominis eſt; ſed nunquam adeò terrifica, quin multi eandem hydropici anxiè interdum qvæſiverint. Cujus qvidem rei evidens exemplum à B. Meibomio, Præceptore olim meo etiam poſt fata ſuperſtite, me percepiſſe memini. Venit ad Eum homo ſummè hydropicus, & ut ſibi abdomen aperiri faceret petiit, addens, perinde ſibi eſſe, ſeu moreretur, ſeu minùs, ſpem tamen ſibi eſſe, ſi non moreretur, fore, ut minori cum moleſtiâ viveret: Factum, qvod petiit: bene habuit æger: paulò poſt autem vehementi Cardi-

algiâ correptus, qvæ tamen adhibitis remediis iterum ceſſavit: Cum verò ſeqventi die ab hoſpite ſuo ipſi aliqvid denegaretur, tam vehementi irâ inde commotus, ut paulò poſt expiraret, interitum promovente non operatione Chirurgicâ, ſed graviori animi affectu. Cui qvidem exemplo affine, ſed majus eſt, qvod Clariſſimus Pechlinus de ruſtico Cimbro Ascitico refert, eum â Chirurgo non tam rogato. qvam precibus fatigato, non argenteâ, huicque uſui dicatâ acu, ſed novaculæ acie, 15 cum tempore aqvarum cantharos ſibi evocari curâſſe, eo qvidem cum eventu, ut vulnere ex arte tractato, & ſolius Abſinthii deinde uſurpato Decocto valetudinem, & vires reciperet; ceu laudatus Autor Obs. Med. Phyſ. 62. l. 1. hunc caſum eleganter pro more ſuo explicat. Id, qvod idem Cl. Vir fecit memorat. O. l. 3. ultimâ, ubi Vetulam ſexagenariam deſcribit, qvæ mortem alias quoque expetens præſtantiſſimum Chirurgum, D. Langellottum, precibus eò tandem compulit, ut Steatoma glanduloſum, utrumque latus occupans, & qvatuor ferè libras æqvans, feliciſſimâ ſectione ipſi eximeret. Planè autem ſingulare, & Paradoxis annumerandum, qvod Nicolaus Tulpius de fabro ferrario, quotidianarum Calculi ærumnarum, ſectionisque iteratæ pertæſo, Veſicæ calculum ovo gallinaceo majorem, ac ponderantem uncias qvatuor, inauditâ tandem audaciâ ſibi ipſi præſcindente

te annotat; & qvidem Obſ. Med. l. 4. c. 31. Nimirum, qvemadmodum Conſvetudinis ſemel invaleſcentis, & peregrina hinc qvæque ut ſolita objectantis, magna plerumque vis eſt; Sic & Neceſſitatem duriſſima interdum emolliiſſe, imò ipſis ægrotantibus exoptata reddidiſſe, ſic apertè patuit.

USUS.

Tuebitur hic locum ſuum

ANIMOSITAS, Medico imprimis, qvi & ſeveriora ſic Artis præſidia tentare nonnunqvam cogitur, neceſſaria, & propria quodammodo Virtus. Etenim, cum juxta Coi regulam l. de loc. in hom. 55. morbis debilibus pharmacis non fortibus, ſed fortibus fortioribus utendum; Medicus officio ſuo rectè fungi neqvit, niſi validiora qvoque morbisque extirpandis adæqvata remedia interdum advocet. At verò

hic *animis opus!* - hic *pectore firmo!*

Qvod qvidem ut ritè demum â ſe obtinere qveat Medicus, qvibusdam qvaſi adminiculis ad hanc Virtutem neceſſariis ut inſtructus ſit, oportet. Reqviritur ſcilicet, ut ſcientiâ polleat Anatomicâ, ut ſcire poſſit, qvomodo operari debeat? Porrò, cum timiditas naſcatur ex imperitiâ, confidentia verò ex multo rerum uſu; Experientia ſupponitur ſive propria, ſive aliena, qvâ compertum habere poſſit, qvando, & qvibus morbi circum-

ſtantiis operari debeat? Sine hac enim qvid qvoque facilius, qvam ut Experimenta Chirurgica cum Nobiliſſimæ Artis, propriæqvè famæ opprobrio, proſtituantur? Tandem, ut Virtutis Chriſtianæ munus completum ſit, operationem inſtituturus Medicus non tam Artis ſuæ dexteritati, qvam DEI T. O M. Benignitati ad optatum demum finem humana conſilia dirigenti fidet, & ab hac laborum ſuorum ſucceſſum unicè expectabit. Et hunc qvidem in modum armatus Medicus morbos nonnunqvam contumaciſſimos, & pro deſperatis habitos, aggredietur, haud aliter, ac ſalutari hoc fiduciæ in Nomen Domini clypeo munitus monſtrum horrendum, informe, ingens, Goliathum inqvam, maſcule & impetebat & proſternebat David; ceu legi de hoc conflictu poteſt 1. Sam. c. 17 Reperti qvoqve omni ævo Medici hac Virtute inſignes; qvorum numero, ne longius â noſtris temporibus recedam, meritò B. iterum Meibomium inſero, qvi ut doctorum omnium ſuffragio erat

Ἰατρὸς - ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,

ſic memoratâ hac Virtute inter multos qvoqve fortè excelluit. Referebat is qvondam, curæ ſuæ commiſſum Empyematicum Paracenteſi ſubjiciendum; cum igitur abſceſſum cyſticum præſagiverit, dixiſſe ſuo Chirurgo ad huc timido, ſi in ſectione denuo inſtrumento aliqvid obſiſteret, novo ictu illud eſſe adigendum, cui conſilio

&

& Chirurgus parens operationem feliciter abſolvit. In laudes hic Guil. Fabricii Hildani, reliquorumqve præſtantiſſimorum Germaniæ Medicorum, qvorum in extirpandis morbis longè deſperatiſſimis cordate non minus, qvam feliciter ſuſceptæ curæ extant, excurrere poſſem; ſed cum in memoria eorum, qvibus hæc magnam partem ſcribo, illæ jam perennent, pedem hic ſiſto, & eleganti tantùm Cl. Tulpii Epiphonemate, qvo, poſtqvam ἀμαύρωσιν amplis Veſicatoris ſublatam recenſuiſſet, Obſ. ſuarum l. 1. c. 10. utitur, hæc obſigno: *Circumſpecti*, ibi inqvit, *Medici eſt, præſagire qvidem pericula, ſed interim non omittere, qvæ Ars reqvirit. Et cur qvæſo, deſperaret qvis fieri poſſe, qvæ hic facta ſunt? incipe animoſe, perge prudenter, & annuet forte coeptis tuis Deus.* Agmen tandem Virtutum harum claudat

PATIENTIA, qvâ mala hujus ſeculi, & qvæ qvidem ordinariis mediis evitare non licet, æqvo animo ſuſtinemus; qvæqve pro malorum hinc, in qvibus ſuſtinendis occupatur, diverſitate & Æqvanimitatem, & Longanimitatem, & Conſtantiam comprehendit. Enimvero, ſi ulla Chriſtiano Medico incumbit Virtus, qvo pacto & huic ſe ſubducere poſſit, planè non apparet. Qvemadmodum enim Divina Voluntas in ſacro paſſim qvoqve Codice, potiſſimum verò Thren. 3. v. 26. Syrac. 2. c. 4. Rom. 12. v. 12. Hebr. 10. v. 36. Iacob. 1. v. 3. 4. & 12. expreſſa ſuprema illi

ſemper lex eſt; ſic & in iis, qvæ Theſi noſtrâ modo expoſita ſunt, Patientiæ exercendæ non leve argumentum inveniet. Videt qvippe, vitæ hujus vel ſervandæ, vel ſaltem minoribus moleſtiis finiendæ cauſa, durioribus interdum vel ipſos ægrotantes remediis lubentes ſe ſubmittere; Cur & ipſe a Deo qvidem immiſſas calamitates, & qvæ non temporalem, ſed æternam felicitatem pro fine habent, æqvo non toleret animo? Cur in Deo reprehenderet methodum, qvâ ipſe ad graviores morbos propulſandos nonnunqvam in ægrotantibus utitur? Dicta ſanè & ſibi putabit, qvæ Joh. Bona in Manud. ſuâ ad Cœl. c. 30. de Patientia pulchrè ita effert: *Si Medico*, inqvit, *urenti, & membra ſecanti & gratias habes, & mercedem perſolvis; cur Dei medicinæ non acqvieſcis? amentia eſt putare damna, qvæ ſunt remedia.* Adde qvod tota tum omnium Sanctorum, tum felicium ex animo Medicorum Praxis idem loqvatur. Moſis, Davidis, Jobi, Prophetarum, & Apoſtolorum, imo Salvatoris, notiora ex Bibliis ſunt, qvàm ut prolixa recenſione indigeant. Qvales fuerint Coſmas & Damianus fratres, non minus ſc. felici ægrorum reſtitutione, qvam morte pro Chriſto illuſtres, ex Eccleſiaſtica hiſtoriâ patet. Preſtant vero ex recentioribus qvoqve Seculis eorum ſat magno numero Exempla, qvi, dum patientum curis operam ſuam ſtudiumqve navarunt, verè, ſi animum ſpectes, patientes & ipſi

eva-

evaſerunt. Laudatur ſanè ab hac qvoqve Virtute Leonhardus Fuchſius, de qvo memoriæ proditum eſt, ita hac virtute eum excelluiſſe, ut ſupremo, eoque graviſſimo morbo correptus, officii cauſa ipſum inviſentibus animi ſui de Deo, religione, & vita æternâ ſenſa adeo perſpicue & piè explicuerit, nullo ut morbo teneri videretur. Sic de Johanne Nævio, qvi Beneficentiæ in egenos nomine jam nobis innotuit, refertur, eum omnia, & ſecunda & adverſa, perinde habuiſſe, ita qvidem, ut Collega ejus Fabricius ſæpius dicere ſolitus, *hunc ſe ſibi Virum crebrò pròponere, ut ſummam omnium virtutum, patientiam nempe, diſceret.* Illuſtre ſanè & hoc titulo documentum poſteritati reliqvit lucidiſſimum illud Daniæ Sidus, Thomas Bartholinus, qvem inopinas, atrocesqve flammas meliorem Bibliothecæ ſuæ partem devaſtantes, ſtupendâ prorſus æqvanimitate excepiſſe, conſtat; cum *optimum* (ſunt verba Herois verè Chriſtiani ad Filium) *exiſtimaret, ea pati, qvæ emendare non poſſet, & Deum, qvo Autore cuncta proveniant, ſine murmuratione comitari.* Qvemadmodum & ſic qvoqve Deum comitatus Jacobus Schegkius Med Profeſſor Tübingenſis, â qvo teſte hiſtoriâ tantum abfuit, ut de cæcitate ſua decennali conqvereretur, ut, cum Ophthalmicus qvidam viſum ſe ei reſtituturum polliceretur, ingenioſe non minus, qvam Chriſtiane reſponderit: *Se multa in vitâ vidiſſe, qvæ maluiſſet*

non videre, optare, ad nonnulla etiam ſurdum fuiſſe. Conteror, ſed ſatis mihi eſt, qvod hoc faciat manus Tua, dictum erat, qvo etiam Flaminius Gaſto, Ducis Lignicenſis & Bergenſis Archiater, inter longos dirosqve morbi fatalis cruciatus ſe erigebat. Et qvid in Joachimo Curæo, pannificio qvidem primum dedito, poſtea verò Poliatro Glogovienſi, ut notum, celeberrimo, tertium abhinc non vidit ſeculum? Is enim, ut variarum virtutum exemplar fuit, ſic & ab εὐθανασίᾳ extollitur peculiari; qvâ factum, ut, cum à medicamentis abhorreret, nonniſi ardentiſſimâ Numinis invocatione, & commemoratione dulcisſimorum Scripturæ locorum, qvæ qvidem indefeſſâ lectione Biblica, nunqvam inter medios labores Practicos neglectâ, familiarisſima ſibi reddiderat, ſe ſuſtentaret. Scilicet non alio Viri præſtantisſimi animo immiſſas ſibi â Deo calamitates, imò mortem ipſam, pertulerunt, quam ſua Cl. Vir, Johannes Saubertus, Eccleſiæ Noribergenſis qvondam Antiſtes, â calculo veſicæ, uncias decem civilis ponderis pendente excitata ſymptomata, de qvo ſeqvens Epigraphe:

Qvem cernis, lapis hic, immenſi cauſa doloris
Fœcunda, & longi temporis una fuit.
Dira infanda licet fuerint tormenta, valebant
Mitem animam placidi vincere nulla Viri.
Creſcebat cruciatus atrox, patientia major
Creſcebat, ſummi nutibus apta Dei.

Ser-

Sermo hilaris, terris præviſam nempe Coronam
Arguit in cœlis qvanta parata foret!

ceu Eruditisſimus Velſchius ad Obſ. Epiſagm. 61. ubi & Calculum æri inciſum exhibet, hæc recenſet. Qvibus ſimile qvid de Johanne Heurnio, Medico illo Academiæ Lugdunenſis doctisſimo, in cujus veſica ſeptem calculi, formâ & magnitudine nucis juglandis majoris, inque univerſum qvatuordecim drachmas ponderantes poſt mortem reperti, hiſtoriæ prædicant.

EPILOGUS.

Et ſic, qvâ potui brevitate, oſtendi, Medicinam, qvæ â Deo venit, Syrac. 38. v. 6. & ſuo modo Deum docere, & ad Deum ducere. Docuit ſcilicet Deum, Optimum, Potentisſimum, Sapientisſimum. Duxit qvoqve ad Deum; dum præcipuas, easque Chriſtiano Medico dignas Virtutes, & qvibus exercendis vel maxima in ipſa Arte ſuggeritur opportunitas, expoſuit. Nil igitur reſtat, niſi, ut qvæ dicta ſunt, ad uſum transferantur. Qvod verò ut recte deniqve fieri poſſit, is erit orandus, â qvo *omnis donatio bona & omne donum perfectum*, Jac. 1. v. 17. & qvi *operatur tam velle, qvam perficere* Philip. 2. v. 13. Nec fortè ſic intempeſtivum erit, devotâ laudati ſæpius Horſtii, & qvâ de communibus Medicinæ fatis apud Deum in fine libelli ſui conqveritur, pre-

precatione hæc obſignare! Eſt autem talis: *Domine Deus magne, fortis, & terribilis. Avertente Te omnia Artis ornamenta decreſcunt. Multi nomine Medici, re ipſa autem perpauci ſunt. Morbi corporis in hac extremâ mundi ſenecta augentur, Medici vero minuuntur. Miſerere noſtræ Artis, Deus enim miſerationum, & clemens es Tu. Medicinam tanqvam laborum moleſtiarumqve plenam Studioſi literarum ditiores fugiunt, pauperes cum eandem vellent, propter amplitudinem & ſumtuum difficultatem metuunt, atqve alio, ſive ad Philoſophiam, ſive ad Theologiam diſcendam ſeſe convertunt. Paucisſimi Artis Medicæ Studium aggrediuntur. Sed & eorum nonnulli Empiricorum oſtentatione experimenta potiùs, qvam artem medendi amplectuntur, ac falſam Medicinam tum imbibunt, tum etiam magno cum dedecore Artis ac clade hominum factitant. Qvod ſi qvi rationales eſſe velint, ut debebant, alii luxu, alii negligentiâ à re tam præclarâ, & generi humano utili abducuntur. Jam illi ipſi, qvi veri Medici ſuperſtites ſunt, aut in medio curriculo ſumtuum difficultate preſſi ac animo fracti nimis effoeminatè caſtra Artis medicæ deſerunt, & ad alia genera Studiorum deflectunt, aut fato, anteqvam ad frugem perveniant, vitam cum morte commutant. Qvid igitur reſtat, qvam unus & alter artifex Medicus verus? Verùm hi qvoqve artifices minores ſat habent, ſi morbos leniores rectè bonaqve conſcientia initio curent, graves aut omnes, aut ſaltem in imbecillioribus corporibus ad magis*

exer-

exercitatos ſenes aliqvamdiu remittant, neceſſe eſt, ſi veros Medicos, impollutæqve conſcientiæ ſeſe præſtare velint. Interea anteqvam illi ſeneſcant exercitatiqve reddantur, unus moritur, alter ſupereſt, ac multis ægrorum morbis adeò obruitur, ut ne illis qvidem uno in loco ſufficiat. Qvi fit, ut multa loca alia aut veris Medicis omnino careant aut falſis impoſtoribus affligantur potius, qvam juventur. Qvid, qvod optimus qvisque Medicus non raro vel ebrietate, vel ſtudio illicitæ Veneris, vel rei familiaris, alteriusqve lucri ſvavioris cupiditate nimiâ ab Arte medicâ plane abalienatur, Medicusqve infamis ac indignus exploditur! O magnam Artis Medicæ ruinam! O deteſtandum Medicinæ abuſum! Da nobis, ut â ſtudiis pesſimis in tempore ad verum ſeriumqve Artis Medicæ Enthuſiaſmum revertamur, ad Tuam Benignitatem confugiamus, Tuâ Divinâ Gratiâ adjuti, vocationem certam faciamus, atqve conſtanter ab initio usqve ad finem vitæ in timore Domini nos exerceamus. Largire, qvæſo, multis literarum ſtudioſis animum fortem & ditioribus, ne moleſtiis contemtuqve Medicinæ deterreantur, & pauperibus, ne de ſuſtentatione ſui Tibi unqvam diffidant. Jactent curam omnem in Te, ſtudiaqve ſemel cœpta abſolvere pergant, ac certi de Divino Tuo auxilio, tum in Studiis ipſorum provehendis, tum in ſumtibus neceſſariis inveniendis, perſeverent, juxta illud: qværite primum regnum Dei, & cætera vobis acciderint. Cuſtodi qvoqve eos in vocatione ſuâ,

ac

ac conſerva illos, ut in viis tuis ambulent, ne pedem offendant, neve immaturâ morte pereant. Da Spiritum S. qvi urat corda ipſorum, ut philautiam omnem deponant aliisqve bene monentibus obtemperent. Crea in illis animum ſagacem, ac judicium rectum diſcernendi veram à falſâ medicinâ. Dirige actiones ipſorum medicas, ut rationabiliter ac in timore Domini medicinam, qvam didicere, exerceant, qvam nondum didicere, ad alios ſeniores rejiciant, donec ipſi qvoqve aptiores ad plus medicinæ factitandum arte uſuqve reddantur. Crea in eis qvoqve cor mundum, ne vanis cupiditatibus carnis, mundi, aliisque tentationibus diaboli ad ſcelera, qvibus cum in infamiam æternamqve condemnationem ruant, ſeducantur. Tunc medicinæ ſtudioſi augebuntur, conſtanter progredientur, Ars Medica Tibi Sancta, generi humano ſalutaris, nobisqve omnibus utilis & honorifica florebit, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ, σοφῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας
τῶν αἰώνων
ἀμὴν !

(O)

INDEX.

A.

ABrahamus Patriarcha Deum timens, 31
Ægrotantium qvorundam mores, 98. ingratitudo, 99
Aer qvalis ad ſanitatem præferendus? 85. ejus mutatio extremum remedium, 92
Æſculapii inſigne, ejusqve explicatio, 76
Alimentorum ad ſanitat. attendend. Qvantitas, Tempus, Ordo, 85. 86. Qvalitas qvando noxia? 90. 91
Animi Pathemata qvæ maximè ſanitati obſint? 87
ANIMOSITAS, 148. ſeq.
Apoplexia, 49. Pathologicè conſiderata varia, 57. V. S. ſæpius curata, 144. it Fonticulis, & Setaceis, 145
Aqvæ communis Virtutes Medicæ 107. frigidæ, ibid. tepidæ 108. calidæ, plantarumqve vernacularum huic infundi ſolitarum, 109
Ariſtippi Cyrenæi abſtinentia, 88
Arndianum dictum, 137
Arteriarum uſus, 14
Arthritidis Remedia, 110
Artus qvid ſint Anatomicis? 22
Aſellus *Caſpar* Venarum lactearum inventor, 16
Aſthmatis Remed. V. S. 144

Athei-

Atheiſmus deteſtandus, 8
Avaritia Medica peculiaris in qvo conſiſtat? 140
Auguſtinus de Bonitate Dei, 22. de Omnipotentia Dei, 31
Aurelii Imperatoris Abſtinentia, 91
Auris ſtructura & uſus, 20. Labyrinthus, 29. Tinnitus Remed. 112
ΑΥΤΑΡΚΙΑ, 139. ſeq.

B.

Bartholinus *Thomas* Æqvanimitatis laude excellens, 153
BENEFICENTIA ERGA EGENOS, 141. ſeq.
Bernhardus de Dilectione Dei, 24
Bilis uſus, 17
Bona *Johannes* de Divina Providentia, 44. de Patientia, 151. 152
Poneti *Theophili* Sepulchretum Anat. 68
Botallus *Leonhardus* Divinâ Benignitate felix, 62
Bordingus *Jacobus* Medicus ſedulus, 60. temperans, 94. verax, 124
Boylei *Roberti* Teſtamentum 9

C.

Calculus, 48. eſt multiformis Proteus, 71. inaudita ejus ſectio, 148
Camerarius *Joachimus* à ſummâ frugalitate laudatus, 95. ab avaritiâ alienus, 141
Cancroſi tumores qvales? 131
Cartilaginum uſus, 14
CASTITAS, 96. ſeq.

Ca-

Catalepſis, 49
Catarrhactæ incip. Remed. 146
Catarrhorum ad nobiles partes decumbent. Remed. 146
Cephalalgiæ Remed. V.S. 144. in antiqvis qvid Fonticuli, & Setacea præſtent? 145. qvid Trepanatio? 147
Cerebrum, 6. ejus ſtructura, & uſus 21, 22. conformatio reliqva, ejusqve finis, 33. 34
Chirurgiæ in morbis tollendis efficacia, 143
Chriſtus, ſummum Manſvetudinis Exemplar, 102 Humilitatis, 137
Chyli Metamorphoſis, 28
Ciceronis M. T. de Deitate teſtimonium, 7. Bonitatis in genere deſcriptio, 13
Clavicularum uſus, 38
Coli valvula, 36
Colicæ Remedia vulgaria, 112
Conringius *Hermannus* de Condimentorum abuſu, 49
CONTINENTIA INTRA PROPRII OFFIC. LIMITES, 50. ſeq.
Cor, 6. ejus ſtructura, & uſus, 18. dignitas, 28. valvulæ, earumqve ſitus, & uſus, 35. 36
Cordus *Euricius* Poëta, 99. Veritatis ſtudioſus, 124
Corporis humani ſtructura exterior, 5. interior, 6
Coſmas, & Damianus qvales? 152
Coſtæ Thoracis, 37. 18

Cranium cum Maxillis qvid? 21. ejus ſuturæ, 37. 38
Crato â Kraftheim *Johannes* Deum diligens, 25. in precibus aſſiduus, 64
Curæus *Joachimus* Dei, & ſacrar. meditat. amator, 26. ejus εὐθανασία 154
Cuticulæ uſus, 15
Cutis uſus, ibid. curioſa ſtructura, 30

D.

Danielis Prophetæ Frugalitas, 94
Dei Exiſtentia, 3. ſeq. Bonitas, 13. ſeq. Omnipotentia, 27. ſeq. Sapientia & Providentia 33. ſeq. φιλανθρωπία 125
Deliria, 49. eorum Remedium V. S. 144
Dentium officium, 21
DESIDERIUM COGNOSCENDI DEUM, 10. ſeq.
Diæta in morbis præcavendis, & curandis efficax, 84. qvotuplex? 85. ſanorum circa res non naturales dictas, 85. 86. 87. memorabile ad ſtabiliendam eam Exemplum, 92. Ægrotantium, 90
DILECTIO DEI, 23. Ejus ſigna, 24
Divinum in morbis τὸ Θεῖον Hippocrati dictum, 80. 132
Ductuum qvorundam Corporis obliqvæ inſertiones, 36. 37
Dyſenteriæ Remedium, 112

E.

Edictum Medicinale REGIUM, 101. 102

Empyematici felix ſectio, 150
Epilepſia,49. ejus Pathologia obſcura, 55.56. ut & Diagnoſis.71.Fonticulis, ſ. Setaceis ſæpius curata,145. interdum & Trepanatione, 147
Eryſipelatis Remedium, 111
Excretionum ad Sanitatem conſervandam neceſſitas, 86

F.

Febrium magna differentia. 48. parva malignarum initia,70. earundem dubius ut plurimùm eventus,79 ſubita lethalitas, 131.132
Fibrarum uſus, 14
FIDUCIA IN DEUM, 40. ſeq.
Flachii *Jacobi* ſingularis lenitas, 103
Flatuum in corp. hum.proventus, 47
Fœtus in utero Membranæ, 37. mortui expulſivum, 113
Fons novus Solqvellenſis, 108
Fonticuli qvid? 145
Frenulis qvæ Corp.hum.partes gaudeant? 121
FRUGALITAS, 93.ſeq.
Fuchſius *Leonhardus* à Caſtitate memorandus,97 â Patientiâ, 153

G.

Galeni *Claud.* Hymnus, 8
Gaſto *Flaminius* Dei, & ſacr. medit, amator, 26. Patientiæ Exemplum, 154
GAUDIUM IN DOMINO, 103.ſeq.
Genu mirabilis ſtructura, 39
Geſnerus *Conradus* â ſingulari pudicitiâ laudatus,

tus,97.ab Hoſpitalitate,126.ab Humilitate,137 â Beneficentiâ, 142
Glandularum uſus, 15. de inteſtinalib. certamen Peyeri,& Muralti, 16
Goris *Gerhardus*, 73
GRATITUDO ERGA DEUM,118. ſeq. ſecundùm Decalogum Carmine comprehenſa, 128. 129
Graviditatis dubia ſigna, 71.72
Guſtus Organon qvale? 20
Guttæ ſerenæ Remed.145. 146. Chirurgicum aliud, 151

H.

Hæmorrhagiæ Remed.111.tale in Hæmoptœ, 112. in utraque V.S. 144
Hæmorrhoidum doloris ſpecificum, 112
Havenreuterus Sebaldus â Timore Dei laudatus 32. â ſedulitate inPraxi 66.67.Medicus prudens,77.αὐτάρκης, 140.141. erga pauperes beneficus, 142
Havenreuterus Joh. Ludovicus, Benignitate erga indigos clarus, 142
HecticaFebris qualis? 69.ſientis Remedium, 91
Hemiplegia, 49
Hepar quid? 17. in ejus Obſtructione Remedium, 113
Heurnius Johannes de Medicinæ difficultate, 61. Patientum Medicorum catalogo annumeratus, 81
Hildanus Guil.Fabricius Medicus cordatus, 151
Homo ex ovulo, 27
Horſtius Gregorius Medicus olim Solqvellenſis, 48
Horſtii Jacobi Precat.Medic.piæ ſecundum Titulos,63. 64. Euchariſtica pro ſucceſſibus Artis, 119. formula pro dono Taciturnitatis, 122. alia in communia Medicinæ fata, 155. uſque ad finem.
HUMANITAS, 124.ſeq.

HU-

HUMILITAS CORDIS, 135. ſeq.
Hydropis varii fontes, 58. Obſervatio ſingularis Anat. 58. 59. 60. in ſexu ſequiori dubia ſigna, 71. 72. cura per Sobrietatem, 91. remedia alia euporiſta, 112. incurabilis conditio, 131. curæ per paracenteſin, 147

I.

Icteri Remedium, 112
Iliacæ Paſſionis Remed. 110
Inteſtinorum ſtructura, & uſus, 16. longitudo, 28. 29
Joel Franciſcus vulgarium medicamentorum Fautor, 117
Joſephi Caſtitas, 96
Ira, nocentisſimus ſanitati affectus, 87. cui inpr. exitioſus? 92
Iſchiadicum malum cur adeo rebelle? 132. 133. quid tamen V. S. valeat? 144

K.

Kentmanni Johannis Minerophylacium 66
Kramerus Joh. Nicolaus, 137

L.

Lactis Origo, 27. humani uſus Med. 113
Langius Chriſtian. Joh. Theoreticus & Practicus φιλόπονος, 67. 68. ejus de Modeſtia circa morbor. prognoſin Regula, 82. 83
Langius Johannes Comitate celebris, 126
Lapides corp. hum. Vid. Calculus.
Laubii Georgii præparatio ad mortem, 104. 105
Lentilii Roſini Tabula Conſultatoria, 65. Circumſpectio Medica, 77. animi ſubmiſſio, 138
Leonis abſtinentia, 85
Leoniceni Nicolai viridis ſenectus, 88. 89. Caſtitas, ibid. & 97
Lethargus, 49. ejus Remedium, 147
Lien, 17. in ejus Obſtructione Remedium, 113
Ligamentorum uſus, 14
Linguæ deſcriptio, 20. apex ejus nodus indiſſolubilis, 28
Lochiorum Remed, Phlebatomia, 144

Loquela, ſecundarius pulmonum uſus, 19. ejus artificium, 28
Lues Venerea, 49
Lutherus Paulus, veritatis amans, 124

M.

Malpighii Marcelli Plantarum Anatome, 4
Mammarum finis, 17
MANSVETUDO, 97. ſeq.
Mater dura, & pia, 21
Mediaſtinum 18
Medicus quis? 76. 77. ejus Officium præſentibus contraindicationibus, 75. contra Medicaſtros, 101. ſalario raro gaudens, ibid. moleſtias Practicas quomodo ferre debeat? 98. quid ſit? 104. morti ipſe deſtinatus. 138. 139
Medicamentorum nomina interdum varianda, 123. vulgarium magna interdum vis, 106. ſeq. pretioſorum contra, uſus ſæpe fruſtraneus, 110. ſq. Medic. Definitio, & Diviſio, 3. Partium deſcriptio, 346. 84. Ars multa unde dicta? 121
Meibomius Henricus Cordatorum Medicorum numero inſertus, 150
Melancholiæ hypochondriacæ vulgare Remed. 112. quid alias â Trepanatione ſperandum? 147
Membranarum uſus, 14
Menſium ſuppreſſ. Remed. 113. tale etiam V. S. 144
Meſenterii uſus, 16
Meurerus VVolffgangus ſua ſorte contentus, 140
Millichius Jacobus Medicus caſtus, 97. intrepido mortem vultu excipiens 104
MODESTIA, 81, ſeq.
Morborum plena omnia, 46. triplex genus 47. cauſarum ſcrutinium difficile, 53. cauſarum varietas, 54. diagnoſis non ſemper expedita, 68. ſeq. cura interdum differenda, 75. vel præſcribenda innocua, ibid. prognoſis ſæpe incerta, 78. ſeq. infantilium peculiaris ratio, 80. nomina interdum varianda, 123. incurabilium Catalogus, 130. ſeq. quidam nonniſi Chirurgiæ obedientes, 143
Motus, & Quies ad ſanitatem quomodo comparanda? 86. Motus & noxa, & remedium, 92
Muſculorum uſus, 15. artificioſa ſtructura, 29

N.

Nævius Johannes a Liberalitate in egenos celebris,142. à patientia, 153
Nervorum uſus, 15

O.

Obſtructio alvi ratione cauſarum diverſa, 54. 55
Oculorum ſtructura,& uſus,19. 20. tunica retina,28. morborum quorundam per Fonticulos, & ſetacea cura,145
Odontalgiæ Remedium, 112
Olfactus Organon quale?20.membrana interior 28
Omentum, 17
Ophthalmiæ Remedium 112
Osſium uſus, 14

P.

Pancreas quid? 17
Paracenteſis Abdominis,147. pectoris, 150
Paralyſis,49.incurabilis,131.talis palpebrarum,132. Fonticulorum,& ſetaceorum hic uſus, 145
PARSIMONIA, 115. ſeq.
Partus difficilis Remed. 113. aliud in Torminibus poſt eum,ibid.
PATIENTIA,51.ſeq.huic deditorum Exempla Biblica, 152
Patriarcharum Sanitas, & Longævitas unde? 86.87
Pechlini Joh. Nicolai Caſus rari, 132.147.148
Peritonæi uſus.15.proceſſuum anguſtia,ejusque ſcopus, 37
Phthiſis fientis Remed.92. aliud parvi pretii ſed magnæ efficaciæ,110.factam curandi ἀδυναμία unde? 133.134.135
Pilorum capitis uſus,95.curioſa ſtructura, 29.30
Pinguedinis uſus, 15
Platerus Felix a Sedulitate Practica laudatus 67. ab abſtinentia a potu,95. ab humanitate ductuEpitaphii,126.127
Pleura, 18
Pleuritidis Signa Pathognomonica, 69. Diarrhoea interdum ſalutaris, 79.80
Polypragmoſyne Vitium,50. Tragica quorundam huic deditorum Exempla,51.ulterior ab hoc dehortatio, 52.53

Pra-

Practicorum querela, 49
PRECATIO, 61. ſeq.
PRUDENTIA, 74.ſeq.
Pulmonum ſtructura, & uſus 18.19. Tracheæ, ſ. Aſperæ arteriæ ſitus, & connexio, 34

Q.

Quies, & Motus ad Sanitatem quomodo comparanda? 86

R.

Ratzenbergerus Matthias a Lectione Biblica laudatus, 26
Remedia Morborum à Prophetis, imo ipſoSalvatore adhibita quomodo interpretanda ? 116
Renum munus, 17
Rhachitis, 49
Ricius Paulus Lenitate clarus, 102.103
Rivinus Aug. Qvirinus de Medicament. pretioſis 115.116
Rolfincius Gvernerus ſtructuræ Corp. human. præco, 11
Rhumbaum Chriſtophori Somnium Divinum, 62

S.

Salariorum Medicorum defectus, 101
Salivæ profuſio noxia, 86. ſaliva contra Remed. 113
Sanguinis metamorphoſis, 27. circulatio in foetu, 36
Sanitas, In hanc Carmen Anagrammaticum, 128.129
Sauberti Johannis Patientia, 154
Schegkius Jacobus ſingularis PatientiæExemplum, 153
Schenckius â Grafenberg Johannes Comitate præſtans, 126
Schraderi Friderici εὐθανασία 105.106
Schroeterus Johannes pauperum ſtudioſorum Patronus, 142.143
Schulzius Godofredus Medicus piisſimus, 140
Schurfius Auguſtinus Deum timens, 31. Medicus prudens, 77
Sorbutus, Solquellæ morbus Endemius, 48. contra illum Remedium, 111. Specificum Groenlandicum, ibid.
Sebizius Melchior Diætæ & ſcriptor, & cultor felicisſimus, 94
SEDULITAS, 64, ſeq.

Se-

Seminis pretioſitas, 87
Senectus viridis Leoniceni, 88. 89. alia ſatellitis cujusdam, 89. 90. Thoneri, 93
Senertus Daniel ob Dilectionem Dei laudatus, 25. in Operibus demandat. mun. diligens, 67
Serpiginis Remedium, 113
Setacea quid? 145
Smetius Henricus in ſtudiis aſſiduus, 65. 66. Medicus ſobrius, 94. parſimoniæ Medicæ deditus, 117
Socratis Temperantia, & hinc Commodum, 88
Solenänder Reinerus vulgaribus medicamentis delectatus, 117
Somnus ad ſanitatem qualis conducat? 86, nimius quibus inprimis noceat? 92
Sphincter ani & veſicæ, 37
Spizelius Theophilus Atheiſmi hoſtis, 9
Steatomatis glanduloſi Sectio, 148
Sterilitas muliebris à vitiis Organicis, 60. 61
Strumarum Remedium, 111
Sudationes multæ quibus noxiæ? 92
Surditatis Remedium, 112. incurabilis quænam? 131

T.

Tabaci abuſus, 86
Tabernæmontanus Theodorus, ſimplicium, & domeſticorum medicament. Patronus, 117. 118
TACITURNITAS, 120. ſeq. difficillima Virtus, 122
Teſtium virilium ſtructura, 29. tres Tunicæ, 37
Thoneri Auguſtini de Circumſpectione Medicâ monitum, 77. viridis Senectus ejusque cauſa, 93
Timæus à Guldenklee Balthaſar Timorem Dei amplectens, 32. Divinam Benedictionem in curis ſuis agnoſcens, 119
TIMOR DOMINI, 30. ſeq.
Tremor, 49
Trepanatio Remedium efficax, 147
Trillerusl Joh. Mauricius, 75
Triſtitia, nocentiſſimus Sanitati affectus, 87
Tulpii Nicolai in Caſibus periculoſis Conſilium, 151

V.

Vadianus Joachimus, Medicus humanus, 125
Variolæ Solquellenſes, 80. Remedia in iis obvia, ſed efficacia, 110
Vaſorum lymphaticorum uſus, 15
Velſchius Georg. Hieron. fiducia in Deum inſignis, 41
Venarum uſus, 14. 15. ſectio in quibus morbis efficax? 143. 144
Veneris commoda, & incommoda, 86. 87. quibus inprimis noceat? 92
Ventriculi ſtructura, & uſus, 15. 16
VERACITAS, 122. ſeq. cum celatâ quandoque veritate non pugnat, 123
Vermes in corpore humano geniti, 47. 48. contra eos Remedium, 112
Vertigo 49. ejus Remedium, 112. aliud Chirurgicum, 146
Veſalius Andreas quis? 41. in Eum Parodia, 42. 43. fiducia in Deum conſtans, 44
Veſicæ Urinariæ munus, 17. Ulcera unde curam ferè reſpuant? 133
Victus Veterum ſalubris, 87. 88
Vomitus Pathologia difficilis, 54
Urina morborum Remedium, 113. 114. ejus excretio variis modis impedita, 55. incontinentia incurabilis, 131. V. S. interdum reſtituta, 144
Uromantiæ Uſus, & Abuſus, 72. 73. 74
Uterus, 6. anguſtum ejus orificium, 27. Ligamenta, 37. ejus ſtrangulatus Remed. 113
Vulneraria planta, 111

Z.

Zenonis Cittiæi Temperantia, 88
Zvvingerus Jacobus Medicus manſvetus, 103. ejus lætus ex vit diſceſſus, 105. Comitas, 125

FINIS.

Sphalmata quædam Typographica, quæ ut B. L. ante libelli lectionem corrigere, cæteraque, quæ ob feſtinantiam irrepſerunt, minoris momenti, Benignè interpretari ne gravetur, amicè rogatur.

Pag. 5. lin. 12. leg. *elegantiam*, pag. 8. lin. 23. *us*, pag. 9. l. 3. *Fortunæ*, ibid. l. 10. *Abſit*, p. 10. l. 20. *documentis*, p. 11. l. 12. *Decus*, p. 12. l. 2. *feneſtris*. ibid. l. 17. *itu*. p. 14. l. 10. *os ad comedendum, Ventriculum ad cibos etc*. p. 15. l. 4. *derivent*, ibid. l. 5. *Glandulæ*, ibid. l. 6. *Quorſum*, ibid. l. 8. *receptam*, p. 20. l. 23. *ad* excipiendas. p. 25. l. 7. *firmaſſe*, p. 26. l. 8. *Curæo*, p. 33. l. 22. *cute*, p. 35. l. 15. *cor*, p. 36. l. 14. *canali*, p. 39. l. ult. *lævibus*. p. 47. l. 5. *diverſisſimis*, p. 54. l. 17. *irritantem*, p. 58. l. 18. *inundare*, ibid. l. ult. *prementibus*, p. 59. l. 12. *ob*, ibid. l. 21. *folliculo*, ibid. l. ult. *Sic*, p. 60. l. 12. *tumidum*, ibid. l. 20. *evidenti*. ibid. l. ult. *tubam*, p. 63. l. penult. *diſceſſu*, p 68. l. 3. *astus*, p. 71. l. 13. *arenoſum*, ibid. l. 24. *Hydrops*, p. 74. l. 15. *vix*, ibid. l. 17. *vix*, p. 75. l. 10. *Medicam*, p. 77. l. 5. *Obſ. ſuarum*, p. 78. l. 9. *cum*, p. 79. l. 4, *Rationem*, ibid. l. 18. *is*. p. 80. l. 14. *parcentibus*, p. 85. l. 23. *Podalirio*, ibid. l. penult, *sic*, p. 90. l. 8. *Rechabitæ*, ibid. l. 9. *Diæta*, p. 92. l. 5. *Colicum*, ibid. l. 10. *ex*, ibid. l. 22. *diei*, p. 94. l. 9. *cum*, p. 99. l. 4. *vix*, p. 102. l. 8. *perverſos*, p. 105. l. 14. *gaudeo*, p. 107. l. 12. *vix*. ibid. l. 21. *frigido cum*, ibid. l. 26. *poſt*, p. 109. l. 20. *Veronicam*, p. 110. l. 4. *nauſeoſum*, ibid. l. 8. *Symptomata*, p. 111. ad. lin. 16. add. ibi. *monte copioſisſime creſcere, adeô ut viatorum*, ibid. l. 19. *medicamentoſum*.